



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Primvs Tractatvs. Circa Sigillvm Primvm. Leges.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066




TRACTATUS PRIMVS
LIBRI THEOLOGIÆ
MORALIS.

Leges.

Vbi Materiæ de legibus, de Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ, de Priuilegiis in communi, ac de Priuilegio Bullæ Cruciatæ & Dispensationum in particulari discutiuntur.

SEQVOR præcipuè harum materiarum scriptores Suarium, Salas, Henriquez, Tole- tum, Laymanum, Ferdinandum de Castro, Filiucium, Baldellum, Meratium, Reynaudum, Gordonium, Thomam Sanctium, Molinam, Præpositum, Azorium, & Fagundez, Tannerum, & Amicum.

EXA




EXAMEN PRIMVM

Circa materiam de Legibus in communi.

CAPVT PRIMVM.

De Legis diuisione.

1.  *VID est Lex?* Ordinatio rationis promulgata ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, seu qui potestatem habet obligandi.

2. *Ad Legem condendam* quotnam requiruntur conditiones? *Quinque.* 1. Vt sit iusta. 2. Vt promulgetur. 3. Vt à legitimo superiore feratur. 4. Vt ob bonum commune immediate vel mediate indicta sit; lex enim communitati omnino inutilis non obligat. 5. Vt acceptetur.

3. *Indica Legis diuisiones.* Primò, est *Lex aeterna*, seu mens & ratio Dei bona præcipiens, mala prohibens. Secundò, *Lex diuina*, seu quæ vim habet, quatenus à Deo proficiscitur, est duplex, *Verus* seu *Mosaica*; *Noua*, seu *Euangelica*: adhucque subdividitur in diuinam naturalem (qua idem præcipitur, quod naturali lege) vt sunt *Decalogi* præcepta: & in diuinam positivam, quæ præcipitur aliquid, quod à Lege naturali non est sancitum, vt præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem *Eucharistiæ* ab eo qui est sibi in lethali crimine conscius. Tertiò, *Lex humana*, seu quæ humana auctoritate fertur, dependenter tamen à Deo: estque duplex: *Ecclesiastica*, & *secularis*. Quarto, *lex naturalis* seu dictamen ac lumen nostræ rationis naturale, quo quidem quid faciendum, quid vitandum agnoscimus. Quintò, *Lex gentium*, seu quam omnes homines naturali ratione ducti constituunt; cuiusmodi est illa: *Possessiones sunt dividenda.* Sextò, *lex Ciuilis*, seu quæ simpliciter hominum auctoritate sancitur. Septimò, *Lex Canonica*, quæ Ecclesiæ auctoritate decernitur, cui quidem obediendum contra ciuilem repugnantem; Ecclesia enim leges ciuiles valet abrogare. Octauò, *Lex affirmatiua*, quæ percipit aliquid faciendum; & *negatiua*, quæ aliquid fieri videtur prohibere.

CAPVT II.

De Legislatoribus.

4. *Quisnam ergo Leges potest ferre? Qui habet publicam potestatem, iurisdictionem, & vim cogendi.*

5. *Quidnam de Pontifice summo? Leges Ecclesiasticas toto in orbe potest præscribere: Leges autem ciuiles non in suo territorio tantum, sed etiam in alieno, indirectè saltem in ordine ad spiritualem animorum finem. Quam quidem potestatem immediatè accepit à Christo eius Vicarius immediatus.*

6. *Episcopus quid? Quod potest Papa in tota Ecclesia, id etiam in diocesi sua potest Episcopus, cum dependentia tamen, & subordinatione ad Papam: quia Episcopus à Pontifice summo hanc potestatem mutatur, non immediatè à Christo.*

7. *Quid Metropolitanus? Archiepiscopus in subditos Coepiscoporum nullam ordinariè iurisdictionem obtinet, nisi ad ipsum à suo Episcopo appellarint. Verum est ordinarius superior Coepiscoporum prouinciæ: tamen in causis criminalibus, quæ depositionem merentur, contra aliquem eorum procedere non debet, sine Sedis Apostolicæ auctoritate.*

8. *Num Imperator Leges condere possit? Si legitimè electus in Regna & Prouincias sibi subditas Leges ciuiles ferre valet, non verò in orbem vniuersum: multi enim Christicolæ non sunt subditi Imperatori. Quare Prouinciæ nec iure dominij, nec iure feudi, nec alio titulo Imperatori subiectæ haud Cæsareis Legibus tenentur.*

9. *Num Reges? In suis Regnis Leges ciuiles ferre possunt: habent enim potestatem publicam, supremamque iurisdictionem. Id quod de quibuslibet Principibus supremis in temporalibus superiorem non agnoscentibus consequenter affirmo. Si superiorem agnoscunt? Adhuc possunt Leges iuxta limites à Principe sibi præscriptos sancire.*

10. *Quid de Regina, quæ Regni domina est, nullumque in temporalibus superiorem reuereatur? Idem ius Legum ferendarum obtinet. Si illigetur matrimonio? Ad ipsam adhuc pertinet Leges ferre, nisi vices marito cedat: quia penes ipsam ius, & dominium Regni, minimè ex matrimonio translatum viro, cum Regnum nec alienari, neque in dotem dari queat.*

11. *An condunt Respublica, aut communitates perfecta, quæ per se ipsas gubernantur?* Condunt equidem in territoriis suis. Idem de ciuitatibus, quæ supremæ Reipublicæ formam aliquam retinent, affirmari. Quæ autem in Principem potestatem transfudere, Leges propria autoritate non faciunt.

12. *De Conciliis generalibus quid dicendum?* Concilia summi Præsulis auctoritate collecta possunt Leges & statuta generalia condere iuxta potestatem sibi à summo Pontifice concessam. Vnde colligo à summo Præsule ad Concilium non dari appellationem, quia Pontifex superiorem non habet. *Præuincialia Concilia quid?* Prouincialia, Nationalia, ac Synodalia Concilia vim habent condendi Leges obligantes territoria sua: nec commune ius efficiunt nisi à summo Pontifice generaliter approbentur.

13. *Potest ne Cardinalium Collegium?* Non potest seu uiuente summo Pontifice, seu sede Apostolica vacante Legem vniuersalem condere, imo nec particularem nisi in suis Titulis, in quibus iurisdictionem Episcopalem habent: cum enim Collegium Cardinalium (vti probabilior fert sententia) non sit de iure diuino, nullamque habeat iurisdictionem, quæ à summo Præsule non pendeat, nusquam legitur hæc facultas condendi Leges Cardinalibus à Papa concessa: sed illis tantum permittuntur, quæ ad Papæ electionem, & ad Ecclesiæ defensionem spectant.

14. *An Capitulum Ecclesiæ Cathedralis sede vacante possit Leges, & statuta in diocesi ferre?* Potest planè, duratura quidem, donec ab Episcopo successore reuocentur. Imo potest statuta ab antecessoribus Episcopis facta reuocare, & contraria stabilire, si expedire iudicauerit: quia Capitulum exceptis casibus à iure expressis, vacante sede, in iurisdictionem plenam Episcopi succedit. *Quid uiuente Episcopo?* Non potest Leges, aut statuta ferre nisi circa ea, quæ ad bonum regimen & ordinem Capituli pertinent.

15. *De Generalibus, Prouincialibus, ac Prælati Religio-
num approbatarum quidnam?* In Capitulo generali, aut Prouinciali concurrente maiori suffragiorum portione, Leges ferre possunt Generales, & Prouinciales iuxta proprii instituti præscripta. Reliqui verò Prælati ea valent præcipere, quæ obseruantiam regulæ sunt accommodata. *Nun hi possunt subditos ad regulæ obseruationem, aut iam erit abolita, cum professionem emisissent, compellere?* Minimè, si aut auctoritate Papæ, aut consuetudine legitime præscripta erat iam
C 3 abroga

abrogata; secus si regula paucorum culpa non seruabatur, non tamen erat legitima consuetudine abolita: tunc enim subditi ad custodiam legum nouis possunt constitutionibus compelli; nam qui illius Religionis regulam uouerunt, consequenter ad eius compelli debent obseruationem.

CAPVT III.

De Promulgatione, & Acceptatione Legum.

§. I. 16. **P**romulgatio Legis. **A**D ferendam Legem quinque innuisti conditiones necessarias, ut scilicet à legitimo superiore ferretur, ut esset iusta, ut in commune bonum, ut & promulgaretur, & acceptaretur: circa que requiram, num necessaria omnino Legis promulgatio? Ita planè, facienda in singulis Prouincijs, neque obligat illius Prouinciæ subditos, in qua facta non est huiusmodi promulgatio.

17. *Orcendum ne idem de summi Pontificis Legibus promulgandis?* Minimè, sed sufficit in Curia Romana fieri, ut ubique legis seruandæ obligatio inducatur; vsus enim obtinuit, ut leges Pontificiæ solùm in Romana Curia promulgentur.

18. *Obligat ne lex statim post promulgationem?* Obligar planè, quando nullus ad obligandum fuit terminus constitutus, nisi aliter de Legislatoris mente constet. Solet certè legislator, quando non intendit ante certum tempus obligare legem, hoc exprimere. *Nullum exressit tempus.* Censetur igitur uelle Legem statim post sufficientem promulgationem obligare, Scio tamen, illud speciale Legibus Imperatorijs, ut ante duos menses à promulgatione non obligent.

19. *Qui Legem rescissoriam contractus (u.g.) sufficienter promulgatam ignorat, delinquit ne celebrando contractum contra Legem?* Minimè, sed inualidè init contractum; Leges enim rescissoriæ hoc habent, ut post promulgationem etiam obligent ignorantes.

20. *Leges priuilegiorum reuocatoriæ obligant ne ante quàm ad aures illius, cui concessa priuilegia fuerant, peruenerint at reuocatio?* Non: quia priuilegium est fauorabile; fauores autem ampliandi sunt.

§. 2. 21. **A**ceptatio legis. *Num acceptatio est ad Legis ualorem necessaria?* Leges sub hac tacita conditione feruntur, ut vim habeant, si fuerint acceptatæ, & vsu receptæ.

22. *Quanda*

22. *Quandónam Lex dicitur non esse acceptata, nec recepta usu?* Quando populus, vel maior pars mori præterito præscripto adhæret, siue sciat contrariam esse latam Legem, siue ignoret.

23. *Et quandónam recepta dicitur?* Quando maior communitatis pars, quod Lex præcipit, præstat: aut eam approbat verbo, vel scripto, vel saltem non improbat. Post tamen Legitimus superior legem in commune bonum ferre, quæ obliget rebelles subditos independentem ab eorum acceptatione; alioquin maior esset potestas ægritudinis popularis, quam medici Principis.

24. *Lex ne quoad unam partem acceptata, obligat quoad totum?* Minimè, sed tantum quoad eam partem, quæ acceptatur; quia quæ ratio est totius ad totum, eadem prorsus est partis ad partem. Potest etiam Lex aliquando per consuetudinem quoad unam partem abrogari: (aut quoad pœnam) reliquis partibus suo in robore permanentibus.

25. *Possunt ne subditi ex iusta causa non solum supplicationes, & preces ad Legislatorem transmittere, ut legem reuocet: verum & Legis obligationem interim suspendere donec rursus de Principis constet voluntate?* Possunt; quia data iusta, & rationabili causa reuocandæ Legis, consonum rationi, ut subditis pateat aditus ad Legislatorem pro Legis reuocatione: & interim legis onere non premantur.

26. *Potest ne Princeps intra decennium subditos pœnis compellere ad Legis promulgatæ obseruationem?* Maximè, sed translato decennio, si Lex acceptata non fuit, non potest Princeps, per se loquendo, subditos ad seruatum Legem compellere; Lex enim per desuetudinem decennalem abrogatur, & tollitur.

27. *Vi Lex obliget, & acceptabilis sit, requiritur ne scriptura tanquam necessaria conditio?* Minimè; potest enim Lex acceptari non scripta, modò contrarium non sit usu sancitum. Hinc infero priuilegium absque scriptura concessum morte concedentis non expirare, etiam si litteræ non essent expeditæ. Ut plurimum tamen & regulariter loquendo, Lex per scripturam ferri consuecit.

CAPVT IV.

De Legum Materia.

28. **Q**uidnam Legi Materiam præstat? Cum Leges circa humanas actiones versentur; præcipiendo bonas, malas prohibendo, Actiones humanæ Legum materia sunt.

29. Num interni actus possunt præcipi, aut prohiberi? Possunt aliqua ratione; non ex se præcisè, quia merè interna soli Deo referuntur: sed quatenus pertinent ad actus externi complementum. v.g. Ecclesia præcipiens Canonici officij recitationem, simul etiam præcipit attentionem, quæ est actus internus; quia attentio est omnino ad orationem necessaria. Similiter aliquem actum externum prohibens, simul etiam prohibet internum illi respondentem. v.g. cum furtum prohibetur, etiam furandi voluntas refecatur.

CAPVT V.

De Subiecto Legum.

30. **Q**uidnam Legum Subiectum assignas? Legis Subiectum est homo subditus iuxta Legis tenorem. Colligo hinc Infideles, aut Cathecumenos Legibus Ecclesiasticis minimè adstringi, quia non sunt subditi Ecclesiæ. Pueros autem ratione vtentes illicari profus, ac consequenter ad confessionem annuam, ad Missæ die festo auditionem teneri.

31. Num Regina coniux Principis, qui condidit Legem, eidem obseruanda adicantur? Ex natura rei obligatur; nisi exempta sit, vt re ipsa eximi assolet, à vi scilicet coactiua.

32. Tenetur Princeps suorum prædecessorum Leges obseruare? Præciso scandalo non tenetur; quia à sibi superiore lata non sunt.

33. An ad obseruationem Legis à se ipso lata teneatur superi? Propriè loquendo ex vi coactiua non obligatur; quia lex obligat subditos, nullus autem sibi subditus est, nec potestatem ac iurisdictionem coactiuam exerit in se ipsum. v.g. si Papa Clericum percutiat haud excommunicationis vulnere afficitur. Loquamur de vi non coactiua, sed directiua
fundata

fundata in iure natura: sic ne Princeps propriis Legibus illigatur? Ita planè; debet enim subditos suo exemplo mouere, modò Leges sint vniuersales, suoque statui conuenientes.

34. *Tenentur ne Clerici, alijque Ecclesiastici ciuilibus Legibus subiaceant? Ex vi coactiua minimè; quia laicus Princeps non habet in Clericos iurisdictionem: ex vi autem directiua tenentur legi ad bonum commune spectanti subiici, dummodo Ecclesiastica non repugnet libertati; quia Clericos decet aliis exemplum exhibere.*

35. *Num Cardinales Legibus generalibus etiam odiosis à iure communi latis illigentur? Ita planè, & consequenter censuris per verba generalia à iure communi impositis feriuntur. sunt etenim subditi iuri communi, seu Præsuli summo, modò queisdam in casibus aliter de Pontificis mente non constet.*

36. *Peregrinus qui ad aliquem locum peruenit absque intentione inibi constituendi domicilium, vel maiori anni portione manendi, ligatur ne Legibus particularibus, ac illius loci propriis? Minimè; quia per breuem moram non acquiritur in illum iurisdiction: nisi fortè ratione scandali vitandi, aut alijs circumstantiæ vi obligari videatur. Qui verò ad aliquem locum accedit animo inibi maiore anni parte manendi, legibus eo loci receptis illigatur, fitque parochianus illius loci quoad Sacramenta, excepta tonsura, & ordine: licet postea accidentaliter post paruum discedat interstitium.*

37. *Quid si non sit peregrinus sed viator, sed vagus qui nusquam certam habet sedem? Profectò locorum Legibus, & consuetudinibus ligatur; alioquin omnino exemptus ab omnibus Legibus, & statutis municipibus, aut etiam Episcoporum decretis vagans esset, quod minimè rectæ consentaneum gubernationi.*

38. *Qui in alieno territorio versatur, tenetur ne Leges proprii ibi non obligantes obseruare? Non tenetur; quia Princeps suam potestatem & iurisdictionem non extendit, subditusque in alieno territorio existens non est actu subditus legislatori. Id quod extendo non solum ad leges municipales, verum etiam ad Leges iuris communis, quarum obseruatio proprio viget in territorio, non verò eo loci, vbi ad tempus versatur.*

CAPVT VI.

De Legis obseruandæ obligatione sub peccato.

39. **N**um Lex aliqua, quæ neque ad culpam obliget, nec ad pœnam? Minimè; propriè enim Lex vocitanda non est, quæ nec culpâ nec pœnâ exigit obseruantiam: sed potiùs regulæ seu ordinationes ad bonum dirigentes appellandæ, qualia equidem nonnullarum Religionum præscripta, quæ nec ad culpam venialem obligare videntur.

40. *An omnes Leges humanae obligent in conscientia sub mortali præsertim?* Non omnes obligant; Leges enim prohibentes v.g. venationem, aut piscationem sine proximi nocumento: aut arborum tempore nocturno delationem, per se loquendo & præcisè aliis circumstantiis non obligant sub mortali. Nec enim Legislatores, præsertim ciuiles ad hæc intendit sub graui culpa obligare; sed solum sub aliqua assignata pœna deterrere.

41. *Obligat sub mortali Lex pœnalis, qua scilicet aliquid imperatur, aut prohibetur assignata pœna transgressori?* Obligat iuxta materiæ grauitatem sub mortali, aut veniali, nisi aliunde constet Legislatorem non intendere obligare ad culpam; quia pœna culpam supponit. v.g. præceptum recitandi horas sub amissionis fructuum pœna, aut Lex soluendi vectigalia sub pœna amissionis mercium, obligant in conscientia.

42. *Lex inferens ipso facto pœnam transgressoribus, obligat ne in conscientia ante sententiam declaratoriam pœna subeunda?* Non; nec potest ipsa pœna executioni mandari absque hominis actione, nisi apertè eam esse mentem Legislatoris constet. Potest enim Legislatores ad soluendam pœnam ante sententiam obligare, regulariter tamen non obligat. *Quid si delictum ita notum sit, ut non possit ullâ tergiversatione celari?* Adhuc affirmo delinquentem non teneri ante declaratoriam sententiam soluere pœnam, quæ ad sui executionem hominis actionem requirit. *Quidam autem de Lege ipso facto lata, qua ad sui executionem hominis actionem non postulat?* Statim post violatam legem incurritur. Quare si Lex ita feratur: Qui hoc fecerit, sit ipso facto excommunicatus: delinquens patratò delicto, statim incurrit excommunicationem, cum ad hanc pœnam subeundam nulla actio requiratur, nec sententia criminis declaratoria expectanda est. Fateor tamen circa pœnam priuationis officij, beneficij, vocis actiuae & passiuæ,
&c.

&c. delinquentem non teneri cum grauis infamiae periculo hanc poenam ante iudicis sententiam subire.

43. *Obligat ne in conscientia lex illa, qua iuri diuino, aut communi bono aduersatur: aut qua legislatoris potestatem excedit: aut qua onus improporionatum imponit: aut qua in falsa praesumptione fundatur?* Non obligat, modo scandali, aut perturbationis Reipublicae periculum absit.

44. *Tenemur ne Legibus, ac sententijs Tyranni parere?* Tenemur profecto Legibus latis ab eo, qui solum tyrannus est regimine, & administratione: id est, qui iuste quidem possidet Regnum, sed iniuste subditos aggrauat; hic enim est legitimus superior. Porro tyranno qui per vim Regnum usurpauit obedire tenemur, quandiu pacifice Regnum possidet, & Reipublicae non resistit. Nec enim Christicolae in terris Turcarum existentes à Turcae Legibus eximuntur, licet Turca tyrannus sit Regni usurpatione. *Peccat ne Tyrannus Leges & sententias ferendo?* Non; hoc enim Reipublicae auctoritate praestat, quae ex suppositione tyrannidis vult ab ipso exerceri iudicia, ne incommoda multiplicentur. Delinquit tamen ille non solum Regnum usurpando, verum & illud iniuste retinendo.

CAPVT VII.

Regulas exhibeo, quibus cognoscitur, num Leges obligent sub mortali.

45. *Quoniam modo poteris dignoscere, an Lex obliget sub mortali, nec ne?* Id aperte praestabo, si septem hasce regulas mente euoluerim. *Prima*, mentem legislatoris rimatur, quae ex materiae grauitate, aut ex alijs coniecturis colligitur. Vnde Lex quando absolute condita est, non addito sub qua culpa velit obligare legislator, iuxta materiae grauitatem est iudicandum.

46. *Secunda* sumitur ex verbis, quibus Lex fertur, modò leuitas materiae non excuset. v. gr. lex illa obligat sub mortali, quae in graui materia fertur in haec verba: *Iubemus, praecipimus, prohibemus, &c. Praecipimus in virtute sanctae obedientiae, sub indignatione Dei, &c.* Item verbum *oportet*: nec non Lex verbo imperatiuo condita posita materiae grauitate; & illa: *Sancimus, statuimus, &c.* Legislator enim hac loquendi forma quantum potest obligare velle censetur.

47. *Tertia*

47. *Tertia* ex materiae gravitate desumitur; ex gravi materia gravis obligatio Legis colligitur: in materia autem levi Legislator non potest sub mortali obligare; quia Lex esset iniusta. *Quoniam modo discoscimus num Legis materia gravis sit, an levis?* Vix certa regula potest adscribi, sed prudentis arbitrio relinquendum. Attamen ego finem Legis contemplerer: Lex enim, quæ ex se levis est, habita ratione finis gravis assolere apparet. *Num in materia gravi potest Legislator sub veniali obligare?* Quis dubitet; quia moralis actus agentis intentionem non excedit.

48. *Quarta* regula, ex vna Lege aliam explicante, aut ex communi hominum æstimatione Legem sub mortali obligare petenda est.

49. *Quinta* ex Legis acceptatione: Lex enim obligat, quatenus acceptatur. Si ergo non acceptatur ut obligans sub lethali, sub lethali non obligat, etiam si Legislator intentionem habuisset graviter illigandi: nisi intenderit ille independentem ab acceptatione obligare.

50. *Sexta* in pœnæ gravitate fundatur: pœna enim proportionem debet habere cum delicto. *Obligat ne sub mortali Lex, quæ gravem pœnam continet, quando pœna huiusmodi ponitur in re levi tantum ad terrorem?* Minimè: nec enim esset iusta Lex, quæ sub pœna capitis leporum venationem prohiberet, ob materiae levitatem. Vnde subditus non tenetur illi Legi ut pote inualidæ obedire in conscientia, nisi ex aliqua circumstantia iusta præsumatur.

51. *Septima* denique ex aliqua gravi censura colligitur, vel Ecclesiastica pœna transgressoribus Legis imposita: nam gravis censura, v. gr. excommunicatio maior, aut gravis suspensio non fertur nisi ob lethalia delicta.

CAPVT VIII.

De Lege irritante.

52. **A**cta, quæ sunt contra aliquam Legem irritantem, suntne valida? Ipso facto in vtróque foro inualida sunt. Vnde qui contractu irritato rem accepit, talis actus vi præcisè non potest illam ut propriam retinere: quia per irritum contractum dominium non acquiritur.

53. *Num irritatio ipso facto incurritur ante declarationem?* Incurritur quidem, quando irritatio in falsa præsumptione non

non fundatur, seu quando forma substantialis requisita ad valorem non seruatur.

54. *Ad incurrendam irritationem actus requiritur ne scientia Legis irritantis?* Minimè speciatim illius actus, qui defectu formæ substantialis irritatur. Vnde Matrimonium clandestinum est inualidum etiam respectu illius, qui Tridentini decretum Matrimonium clandestinè initum irritans, ignorat. Item qui beneficium obtinet bona fide per pactum Simoniacum, quod ipse ignorat, inualidè obtinet.

55. *Actus humana lege irritus obligat ne in conscientia?* Obligat; Ecclesia enim & Principes possunt actus in vtroque foro irritare.

56. *Actus ne contra Legem prohibentem sunt inualidi ex eo solum capite, quod prohibentur à Lege?* Minimè; multa enim illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Neque verò omnes actus, qui iure naturæ prohibentur, sunt irriti: validus enim est contractus, quo quis rem vni promissam alteri vendit; validum Matrimonium de præsentibus cum vna celebratum, post sponsalia prius celebrata cum alia: quamuis delinquat vtriusque contractus præuaricator.

57. *Actus contra ius commune est ne ipso facto irritus?* Ita planè: at non secundum se, & in foro conscientiæ ante sententiam iudicis: sed quia per sententiam iudicis ita declarari potest irritus, ac si irritus à principio esset. Id quod in iis tantummodo locis procedere affirmo, in quibus Lex Theodosij Imperat. quæ incipit: *Non dubium*, recepta est.

58. *Actus celebrati sine forma substantiali, ac sine solemnitate à iure requisita sunt ne validi?* Minimè: sed in vtroque sunt inualidi foro. *Quandònam autem solemnitas substantialis adesse censetur?* Quando clausula apponitur factum irritans sine huiusmodi forma celebratum. Scio sanè actus ad causas pias factos excipiendos: sunt enim validi etiam sine solemnitate à Ciuili iure præscripta.

C A P V T IX.

De Legis satisfactione, seu adimptione.

59. **L** *Ex ne aut præceptum potest adimpleri ex actu ex aliqua circumstantia malo?* Potest: vt quando quis ex vanæ gloriæ motu ieiunat: modus quippe sub præceptum

non cadit, dummodo non sit de intrinseca ratione præcepti: ut quando alioquin præceptum non valet adimpleri, nisi modus adimpleatur. verbi gr. qui dormiens Missæ assistit, non satisfacit Missæ audiendæ præcepto; quia assistentia humana requiritur tanquam modus ad præcepti pertinens substantiam.

60. *Possim ne unico actu pluribus præceptis satisfacere?* Potes; superior enim à cuius mente legis obligatio pender, id concedere præsumitur. Vnde qui ieiunium in Vigilia D. Petri vouit, eadem abstinencia & Ecclesiæ præcepto, & voti obligationi facit satis.

61. *Eodem autem tempore per diuersos actus possim ne pluribus satisfacere præceptis?* Potes planè, quando vnus actus alium non impedit. v.gr. qui tempore, quo celebratur Missæ sacrificium, horas canonicas recitat, vtrique obligationi satisfacit, quia vnus actus non impedit, alium vtroque scilicet ad Dei cultum tendente.

62. *Vt præceptum impleatur, requiritur ne intentio præstandi opus, quod præcipitur?* Ita planè. v.g. vt quis præcepto audiendi sacrum satisfaciat, requiritur intentio Missam audiendi, quia opus præceptum implendum est humano modo, seu cum intentione illud præstandi. Non autem erit necessum, vt opus præceptum fiat cum intentione satisfaciendi. v.g. Missam audit nesciens diem festum celebrari, præcepto satisfacit. *Quid si quis opus præceptum præstat cum intentione non adimplendi præceptum per illud opus: satisfacit ne, si postea mutet intentionem?* Ita sanè. v. g. Audio Missam intendens non adimplere præceptum illa auditione, sed alia; postea accidit alij Missæ non interesse, præceptum impleui; quia opus iniunctum præstiti.

CAPVT X.

De Legum interpretatione.

63. **L**icet ne Leges interpretari, non solùm exponendo, verùm etiam ampliando, & coarctando? Licet; hic enim vsus, & praxis viget. Porro Tridentini decreta fas est obiter, & humiliter rebus in dubiis interpretari. Declarationes Congregationis Cardinalium circa Tridentinum maximi quidem sunt ponderis, ab iisque non facilè recedendum: vim tamen legis non habent antequam sufficienter promulgen-
tur,

tur, & publicentur. Id quod de huiusmodi declarationibus affirmarim.

64. *Quoniam modo humana lex interpretanda est? Lex quidem odiosa explicanda, & extendenda iuxta naturalem verborum proprietatem: non verò strictius aut laxius. At in materia favorabili explicanda & extendenda est, quantum verba patiuntur non solum iuxta naturalem, sed etiam iuxta civilem verborum proprietatem. v.g. lex favorabilis loquens de filiis, ad adoptivos extendenda: loquens de legitimis, extendenda est ad legitimatos. Quid in dubiis legis poenalis materia. Mitior pars amplectenda est, servata verborum proprietate.*

65. *Lex ne poenalis extendenda est ab uno casu ad alium, vel ab uno crimine ad aliud, vel ab una persona ad aliam ob rationis paritatem? Minimè, iuxta illud tritum axioma: In lege poenali non valet argumentum à simili, seu ab identitate rationis, seu à fortiori, seu à maiori ad minus, seu à contrario sensu. Si tamen lex sit generalis, generaliter de omnibus casibus, ad quos verba legis extendi possint, est intelligenda: & licet unius tantum personæ fiat mentio, non tamen propterea cæteræ videntur, seu censentur exclusæ.*

CAPVT XI.

De Legis abrogatione præcipuè per consuetudinem.

66. *Quoniam lex antea recepta vim obligandi amittit? §. I. Per legem posteriorem contrariam, seu per reuocationem, seu per correctionem, seu per restrictionem, iuxta restrictionis, aut correctionis qualitatem; quia posterior voluntas Principis priori derogat, etiam si in posteriori lege fiat mentio prioris.* Abrogatio le- gum. nulla

67. *Cessante causa motiva, seu finali legis respectu totius communitatis, cessat ne obligatio legis etiam absque alio decreto, vel Principis declaratione? Cessat; quia non præsumitur velle obligare, cessante legis fine.*

68. *Cessat item legis obligatio in casibus, qui per episcopiam comprehensæ in lege non censentur, etiam si verba legis eos comprehendere videantur? Cessat planè; quia legislator non præsumitur casus illos comprehendere, qui ob superuenientem aliquam circumstantiam sunt illiciti, aut Reipublicæ*

48 *Moral. Theologia Tract. I. Leges,*
blica perniciosi, aut nimium difficiles, seu moraliter im-
possibiles.

§. I. 69. *Amittunt ne Leges vim obligandi per contrariam con-*
Consue- *suetudinem legitime introductam?* Amittunt; legitima enim
tudo. consuetudo vim obtinet Legis.

70. *Indica legitima consuetudinis proprietates.* Prima est,
Leges interpretari; quando enim dubium suscitatur circa Le-
gis intelligentiam, ad consuetudinem, quæ optima Legum
interpres vocatur, recurrendum. Vnde ad contractuum va-
liditatem non leue ex consuetudine ducitur argumentum.
Secunda proprietas consuetudinis est, Legem inducere. Ter-
tia Legem inductam mutare, & abrogare vel in totum, vel in
partem. *Vt autem consuetudo veterem Legem abrogare, & no-*
uam int. oducere possit, quarum conditiones requiruntur? Odo. I.
Vt id, quod per consuetudinem introducit, possit esse ma-
teria Legis. Hinc fit, vt contra ius diuinum, aut naturale, con-
suetudo legitima induci non possit; quia materia huius con-
suetudinis est mala, & prohibita. 2. Vt consuetudo per actus
voluntarios inducatur; Lex enim est actus voluntatis, & li-
ber. 3. Vt consuetudo abrogans Legem, ab iis, qui tenentur
eam seruire, inducatur. 4. Vt adsit intentio eximendi se per
consuetudinem à Lege abroganda, vtque id, quod inducitur
per consuetudinem, obseruetur tanquam præceptum, seu per
modum obligationis; alioquin consuetudo vim Legis non
fortietur; quod enim frequenter fit ex sola deuotione, aut li-
beralitate, nullam obligationem, nullam Legem inducit. 5.
Vt consuetudo sit vniuersalis; minor quippe populi pars con-
suetudinem non potest inducere, maior potest. 6. Vt consue-
tudo per eos inducatur, qui Legem possunt condere, vel ha-
bent capacitatem actiuam condendi, vel saltem passiuam
eam recipiendi, interueniente aliquo superioris consensu. 7.
Vt consuetudo sit longæua, scilicet seruata fuerit per decem
annorum spatium, decem enim anni sufficiunt ad consuetu-
dinem præscribendam, modò non sit contra ius Ecclesiasti-
cum, ad præscribendam enim contra Ecclesiæ iura consue-
tudinem quadraginta anni requiruntur cum aliquo titulo, aut
etiam tempus immemorabile, si ius resistat. 8. Denique, vt
Principis consensus saltem tacitus adsit.

71. *Potest ne Lex vi sua, & absque alia clausula præceden-*
tem consuetudinem abrogare? Potest, modò habeat omnimo-
dam contrarietatem & repugnantiam cum consuetudine, &
legislator sit consuetudinis conscius; quia consuetudo non
adimit superiori condendi Leges auctoritatem.

72. *Per*

72. Per legem uniuersalem abrogantur ne consuetudines speciales locorum, aut statuta particularia? Non, nisi eorum in lege mentio fiat, aut nisi saltem per clausulam generalem, qualiscunque contraria consuetudo, statutum aut priuilegium expressè reuocetur; quia Princeps, qui consuetudines speciales locorum ignorare censetur, non videtur eas uelle abrogare, nisi specialem earum memoriam efficiat.

73. Per hæc uerba: Non obstante contraria consuetudine, reuocatur ne consuetudo immemorabilis? Non reuocatur, nisi addatur in reuocatione: Non obstante consuetudine etiam immemorabili: aut nisi aliquid æquiualens apponatur, quia consuetudo immemorabilis peculiaribus in iure priuilegiis gaudet.

74. Peccant ne introducetes consuetudinem contra legem, seu contra antiquam aliam consuetudinem legitime receptam? Peccant planè toto eo tempore, quo agunt contra legem, uel consuetudinem, donec elapsum sit tempus requisitum ad legitimam consuetudinem inducendam; nisi fortè Princeps etiam tunc, quando contra legem aut consuetudinem faciunt, id sciat, & tolleret, aut nisi è bona fide excusetur.

CAPVT XII.

Praxis, ex Societatis I E S V Schola circa materiam de legibus in communi.

75. **T**enetur ne legislator seruare suas leges? Minimè, quia §. 1. non habet potestatem in se ipsum. Intellego de *Quinã obligatione coërcitiua*: nam ad eas, quæ ex æquo obligant, *lege obligantur.* v. gr. quæ taxant pretia rerum, &c. tenetur vi directiua; quia *lex naturalis præcipit caput cum suis membris conformari.* *Granado 1. 2. cont. 7. tract. 3. p. 2. d. 17. sect. 3. num. 22.* qui asserit *Granad.* legislatorem suas leges frangentem (graues quidem) peccare mortaliter. Hæreo tamen illucio negant; quia omnis obligatio ex legislatoris uoluntate pendet, qui non præsumitur uoluisse sibi tantum onus imponere.

76. Valida ne lex principis laici de causis Ecclesiasticis disponens, aut aliquo modo illicare tentans Ecclesiasticos? Minimè, Clericusque legibus ciuilibus etiam non pugnantibus cum iure Canonico, aut cum eorum statu, tenentur solum directiue, ut se cum aliis membris eiusdem Reipublicæ conforment. *Laym. tract. 4. cap. 13. num. 6.* *Laym.*

77. Tenentur ne Regulares, Episcoporum seruare statuta? D Non

D Non

- Non quia exempti sunt ab eorum iurisdictione. Scio aliquibus statutis in iure expressis subiacere, quæ expressit *Maldenus* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. Tenentur itaque solum ex decencia, & ad scandalum vitandum: quo cessante non peccabunt violatores. *Granado* 1. 2. *cont.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *d.* 6. *sect.* 3. *n.* 18.
- Gran.** 78. *Subditi incola loci, in quo est statutum, tenentur ne illud seruare extra territorium?* Minimè, v. g. festum aut ieiunium Vallisoleti non tenetur seruare Vallisoletanus, qui Palentia reperitur. *Ex industria fugit ad Palentia ditionem, ne ieiunaret: deliquit?* Non, quia non fraus, sed fuga præcepti, quæ non est contra præceptum. *Sanchez summ. tom. 1. lib. 1. cap. 12. num. 35.*
- Sanch.** 79. *Adest in loco festiuitatis, aut ieiunij domus exempta à iurisdictione Episcopali: potest ne quis in ea festum, aut ieiunium non seruare?* Posse assero ex *Fagundez tract. 1. lib. 1. c. 7. num. 13.* quia locus exemptus habetur pro extraneo.
- Fagund.** 80. *Excommunicatio Episcopi pro tota diocesi ligat ne subditos, qui in loco exempto commorantur?* Non ligat, quia locus is pro extraneo reputatur. Exempta ne Monasteria Regularium ad hoc dici possunt? Aliquis asseruit extra Societatem.
- Suar.** *Sed Suarius de cens. v. 5. sect. 4. num. 6. conuenientius negauit.*
81. *Seruatur v. g. ieiunium, aut festum in loco, & in oppido, ubi peregrinus reperitur, ex Episcopi ordinatione: tenetur ne peregrinus ei legi subiacere?* Teneri existimat *Fagundez*, citatus, sed contrarium probabile existimat; quia non est subditus Episcopi illius loci, & ad leges patriæ non tenentur absentes.
- Fagund.** 82. *Tenentur ne vagi, qui nullas habent sedes certas?* Asserit *Suarez de Rel. tom. 1. lib. 2. cap. 14. n. 20.* teneri locorum, in quibus reperiuntur, leges obseruare; quia in illis domicilium acquirunt; alioqui exempti essent ab omnibus legibus, & statutis locorum, quod absurdum. At *Lessius lib. 4. c. 2. dub. 7. n. 47.* contrariam sententiam probabilem iudicat ex peregrinorum paritate. Nec absurdum putat vagum qui nullam certam sedem habet nullis certis legibus subiacere.
- Suar.** 83. *Scio legem, ut iusta sit debere equalitatem ad ius alterius seruare: rogo, si hec equalitas temporis successione deficit, obligabit ne lex?* Minimè, v. gr. antiquis statutis taxantur stipendia Notariis, modò non obligant; quia lata fuerunt eo tempore, quo pecunia carior, & res viliores. *Iuramentum seruare taxat.* Non refert; quia iuramentum exponitur, quatenus iusta sunt. *Sanchez opusc. tom. 1. lib. 3. cap. 14. num. 14.*
- Less.** *Quam obli-*
- Sanch.** *get?*

Examen I. De Legibus in communi. § 1

84. Fit lex iusta in bonum finem, scilicet in utilitatem
communicatis: cessat finis hic aut in toto, aut in parte, cessat ne
lex obligare? Negat Vasquez 1. 2. tom. 2. d. 163. cap. 3. n. 19. Valsq.
cessare in partem obligare cessante in parte fine. Granado Granad.
autem asseruit; quia sicut cessante fine legis in vniuersum,
cessat lex totaliter; ita cessante fine adæquato legis in vno
casu, cessabit lex obligare pro illo casu. Sicut enim se habet
lex in vniuersali ad rationem acceptam in generali: ita lex
in particulari ad rationem acceptam in casu speciali. Admo-
net Petrus Hurtado 2. tom. 1. d. 74. sect. 3. § 26. quod quando Hurt.
lex præter finem extrinsecum, & remotum habet finem in-
trinsecum, & per se, & independentem ad illum, honestum, &
qui sit actus virtutis: tunc non cessat lex in particulari; ces-
sante solum fine extrinsecum: secus verò vbi nullus est finis
intrinsicus, & lex non præcipit actum per se honestum. v. gr.
lex ieiunij quæ condita est ad sedandos in homine motus
turpes, non cessat in eo, qui libidinis morbo non subiacet:
quia ieiunium independentem ab eo fine habet bonum tem-
perantiæ. Verùm laicum doctum cum hæretico non dispu-
tare non est actus alicuius virtutis; vnde cum etiam cesset in
eo subuersionis periculum, ob quod in c. *inhibemus*, id laicis
prohibetur, poterit disputare.

85. Lex prohibet familiari, nutritive Iudæos fundata in pe-
riculo subuersionis presumptione, obligat ne eos, qui huic peri-
riculo non sunt expositi: Non; quia cessat causa legis. Sic San- Sanch.
chez summ. tom. 1. lib. 2. cap. 3. num. 2 At Petrus Hurtado 2. 2. Hurt.
d. 76. sect. 2. num. 81. hoc concedens circa familiaritatem so-
lam, in qua finis legis est solum vitare periculum, negat ta-
men quo ad famulatum, nutritionem, &c. quia in his non po-
test cessare finis prohibitionis, qui fuit tollere suspicionem
fidei, & eo honore priuare Iudæos.

86. Peccat ne mortaliter, qui contra ciuitatis statutum aspor-
taret pecuniam, &c. Si in modica quantitate fiat, non
peccat mortaliter; quia cessaret finis legis. Sic Palao. Palao.
tra 7. d. 2. 1. 7. num. 6. At Sanchez summ. tom. 1. lib. 1. 4. n. 8. Sanch.
asserit attendendum esse detrimentum, quod inferitur, si om-
nes ciues eandem quantitatem asportarent, quæ esset sine du-
bio notabilis. Pro ecclò ex hac assertionem Sanctij Palao in-
fert, quod si quis asportaret quantitatem, quæ in furto suffi-
ceret ad mortale, peccaret mortaliter ex eo præcisè, quòd si
omnes ciues tantam quantitatem extraherent, proculdubio
nocerent Reipublicæ notabiliter: hoc autem est ridiculum.
Quanam sit notabilis quantitas sufficiens ad mortale in tali ex-
tractione?

iractione: Exclufa obfidiōe: regulariter loquendo centū aurei in pecunia, feu mercibus, aut armamentū decē militū. Sic Pal.

87. *Quandōnam lex dicitur esse fufficienter promulgata?* Non fatis est, vt promulgetur apud paucos, fed fufficienter diffundi per totam communitatem. Vnde qui præfens effer, dum aliqua lex primò publicatur, non statim teneretur eam feruare; fed expectare poffet, donec per totam communitatem diffundatur. Ratio est, quia lex prius obligat communitatem, quàm particulares; prius enim totum, in cuius bonum ordinatur, quàm partes. *Suar. de leg. lib. 3. c. 17. n. 5. & 14.*

88. *Scit quis Principem cogitare de condenda lege, aut eam condidiffe, vt, v. gr. moneta crefcat, aut minuatur: tenetur ne illam feruare priusquam promulgetur?* Minimè, fed poffet fuas pecunias abfumere (fi minuenda,) vel emèdo, vel mutuo dando: aut (fi altiori addicèda valori) poffet vendere merces, &c. vt acquirat pecunias; quia nulla adhuc ad contrarium lege, haud promulgata, tenetur. Ex *Suar.* citati doctrina arguitur.

89. *Num leges Pontificia, vt obligent per totum orbem, debeant per totum orbem promulgari?* Affirmatiuè respondendum, quoad leges irritantes contractus ex *c. si in adiutorium. d. 10.* vbi habetur huiusmodi leges non obligare, nifi sunt promulgatae in fingulis Prouincijs, & dicecefibus. At de alijs nouis constitutionibus *Vasquez 1. 2. tom. 2. d. 156. c. 2.* afferit obligare mox post promulgationem Romanam; quia omnes caufa, quæ ad Romanam curiam referuntur, diuiduntur quidem iuxta regulas Cancellariæ, & alias leges, quæ Romæ folum publicatae funt. Et Bulla cœnæ nufquam nifi Romæ publicatur. Item Pius IV. in fua Bulla obligat totum orbem ad obferuantiam Tridentini post promulgationem Romanam.

90. *Rogo, an ficut leges ciuiles obligare non incipiunt ante duos menses à die publicationis, idem dicendum fit de Canonicis, ac Pontificijs?* Respondet negatiuè *Suar. de leg. lib. 3. cap. 18.* quia id in nullo iure Canonico ftatuitur. At *Reginal. tom. 1. lib. 13. c. 16. n. 152.* affirmat, quia tempus id præfcriptum est, non folum vt ignorantes non ligentur; fed etiam vt rixæ tollantur, quæ fequerentur, fi aliquibus legem fcientibus, ac proinde ad eam obligatis, alij ignorarent, & exempti effer:

vt notat *Becanus p. 2. tom. 3. c. 6. con. 2. n. 3. Ciria Romana,* ait, *punit delinquentes contra leges infra bimestre publicatas.* Ideo est, quia fequitur contrariam fententiam, quo non obftante poffunt fubditi probabili huic hærere, cauendo à pœnis curiæ. Hæc enim fententia in foro folummodo cōfcientiæ procedit.

91. *Quid de acceptatione legis?* Sentiant *Lessius lib. 2. c. 22. aub.*

dub. 13. n. 98. & *Becanus* p. 2. tract. 3. c. 6. q. 8. n. 2. requiri, quod sit à populo, seu maiori illius parte acceptata; quia videtur benignæ Pontificis, & Principum menti conforme, vt leges promulgare faciant sub tacita conditione, si à subditis acceptentur, ne nimia sint oneri. Porro de legibus Pontificiis vniuersaliter sentio cum *Vasquez* 1. 2. tom. 2. d. 156. c. 5. n. 36. Vasq. non dependere à populi acceptatione; quia Papa non habet suam potestatem dependenter à populo: vt suarum legum vis à populi consensu sit petendus. De legibus autem ciuilibus subscribo *Lessio*, & *Becano*, addens, eo ipso, quod à maiori parte sit lex acceptata, omnes obligare, ac singulos.

92. *Adest dubium, num lex sit alicubi vsu recepta, presumi ne debet recepta esse?* Respondet *Sanch.* sum. tom. 1. lib. 1. c. 10. af- *Sanch.* firmatiuè; quia possessio stat pro lege, quam certum est esse la- tam, & solum de executione dubitatur. At *Pal.* contrariam esse *Palao.* turâ existimat *tõ.* 1. d. 3. n. 7. n. 4. quia in odiosis benignior pars est amplectenda: & possessio potius stat pro subditorum libertate.

93. *Peccant ne subditi, qui primo legem iustam sine iusta causa non acceptant?* Non, quia lex non obligat singulis ante acceptationem populi: nondum enim impleta conditio illa ta- cita, sub qua lex condita est, si populus acceptauerit. Scio com- munem esse sententiã peccare subditos qui priuilegium legi- timè promulgatam sine causa non recipiunt, de quo erudi- tissimus *Antoninus Diana* p. 5. tract. 14. re. 1. At meo hæreo *Diana.* *Valentia* tom. 2. d. 7. quest. 5. part. 5. primæ authori sententia. *Valent.*

94. *Rogo, possint ne subditi libellos supplices legislatori offerre, & interim legem non seruare.* Negat *Vasq.* 1. 2. om. 1. q. 94. a. 3. Vasq. d. 156. c. 5. n. 13. quia appellatio & supplicatio nusquam con- cessa reperitur contra legem, sed solum contra sententiam. At *Salas* d. leg. d. 13. sect. 4. num. 20. affirmat, quia talis præ- *Salas.* sumitur benigna legislatoris intentio, vt si aliqua iusta causa legi obstat, informetur, vt possit eam reuocare.

95. *Possunt ne superiores Ecclesiastici, aut seculares suos subdi- tos ad legem arctare sub lethali criminis poenâ?* Possunt in graui *§. 3.* materia, in leui minimè. *Sanch.* t. 1. sum. lib. 1. c. 4. n. 3. quia *Quonã* solus Deus habet ius obligandi sub mortali in leui materia: vt *obliget,* probabile est se gessisse cum Adamo, & Eua, Adnoto cū *Ca. tr. graui-* *Pal.* tom. 1. r. 3. d. 1. b. 14. n. 13. posse contingere, vt res in se le- *uèrne, an* uis, fiat ex circumstantia grauis. v. g. si ad seruandum silentiũ, *leuiter?* vel vitandum aliquod periculum Religioso interdiceretur *Sanch.* ingressus in aliorum cellã, tunc materia grauis fieret, & obliga- *Pal.* tio sub lethali teneret; etiã si in particulari casu, quo cessaret periculũ. *Quid si superior in materia omnino leui obligatione sub*

latoꝝ, qui potest obligare ad pœnam temporalem, & spiritua-
lem, siue ad culpam grauem, cui annexa pœna aeterna: dum
meminit solius temporalis, non videtur velle obligare ad
aeternam; lex enim debet de minori pœna exponi.

99. *Dubium est, an lex obliget sub mortali, an verò sub
veniali: quid?* Obligat sub veniali; quia pœnae semper beni-
gnè interpretandæ. *Molina tom. 3. d. 673. n. 6. & 7.*

Molin.

100. *Lex Ecclesiastica sub pœna excommunicationis
maioris latae sententiae, obligat ne sub mortali?* Communiter
Doctores mei sub mortali asserunt obligare. *Quid quando
imponitur pœna suspensionis, interdicti, irregularitatis?* *Valen-*

Valent.

101. *Num Bulla Sixti V. contra Astrologos iudicarios
obliget in conscientia?* Affirmat *Sanchez sum. tom. 1. lib. 1. c. 38.*
num. 34. *Confule Delrium disq. Mag. lib. 4. cap. 3. q. 1. con. 2.*
& *Filliucium. tom. 2. tract. 24. cap. 4. num. 84.* Scio probabilem
oppositam sententiam, nempe licere in foro conscientiae
Astrologis quidquid, ipsa tuta, ante licebat: posset tamen ab
inquisitoribus puniri.

Sanch.
Delr.

102. *Dixisti saepe legem gratiosam ampliandam, pœnalem
restringendam rogo, an in legibus pœnalibus fiat extensio à
casu in casum non expressum, propter paritatem rationis?* Mi-
nimè, imò nec si in hoc vrgeat maior ratio. v.g. Cogentes vi-
ros Religionem ingredi non incurrunt excommunicatio-
nem, *Prudent. sess. 25. cap. 8.* contra cogentes fœminas ingredi
Monasteria. *Sanchez sum. tom. 1. lib. 4. cap. 4. num. 1.* Excom-
municationem Gregorij XIII. contra ingredienties in Mo-
nasteria Monialium pretextu licentiarum, non incurrunt in-
gredientes sine licentiae pretextu. *Suarez de censur. d. 22.*
sect. 6. num. 11. Lex imponens pœnam priuationis vocis, intel-
ligenda est tantùm de octauia, quæ est propriè, & principaliter
vox. *Palaeus tom. 2. tract. 13. d. 6. p. 6. num. 15.* contra *Lessium*
lib. 2. cap. 34. dub. 29. num. 105. C. ad hæc, de *Iudeis*, prohibetur
Christianis famulari, & nutrire Iudeos: non est extendenda
prohibitio ad Sarracenos, & Paganos. *Petrus Hurtado de*
Mendoz. 2. 2. d. 76. sect. 3. num. 81. contra *Suarez de fide, d. 18.*
sect. 6. num. 6.

Less.
Sanch.

Suar.

Palaeus.

Mend.
Suar.

103. *Num in casu dubio, detur locus epicheia, seu aequitatis?*
Consulendus superior, an in lege voluerit casum, de quo est
dubium, comprehendere. *Et si dubium est de potestate supe-*
rioris? Pro illa est iudicandum. *Palaeus tom. 1. d. 3. p. 1. num. 4.*

Pal.

Suar.

addens etiam in casu urgente, in quo superior consuli non potest, limitat *Suarus de leg. l. b. 6. cap. 8. num. 12.* nisi lex alteri legi grauiori aduersari dubitetur: nam tunc licet exequi grauiorem, altera omissa; quod Palaeus non admittit. Porro si dubium est speculatiuum, & incompletè practicum, licet operari cum illo. v. gr. quando dubito rationaliter, an superior velit me obligare, hærescere possum parti minus tutæ, ad notabile vitandum incommodum. *Henriq.*

Henriq. lib. 14. cap. 13. num. 3.

S. 4.
De statutis
laicalibus, &
Papalibus.

104. *Principes seculares assolent Ecclesiasticam libertatem violare statutis: innuas precor quodnam statutum sit contrarium Ecclesiasticæ libertati? Carptim ex Societatis Doctoribus, aliisque Iurisprud. & Canonist. respondebo.* Laicale statutum lædit Ecclesiæ immunitatem, si tangit Ecclesiam, aut causas Ecclesiasticas: v. g. causas Beneficiorum, Iuramentorum, Decimarum. Si interdicit Ecclesiæ, quæ sibi de iure competunt, aut priuilegio. v. gr. si præcipiat ei, bona recens quæ sita infra certum tempus extra manum ponere. Si prohibeat, bona immobilia in Ecclesiam, aut Ecclesiasticos transferri. Si præcipiat, ab Ecclesia, & Ecclesiasticis aliquid solui pro immobilibus amortizandis. Si prohibeat laicis, ne Clericis molant, coquant, vendant, vel seruitia exhibeant. Si disponat de numero Religiosorum, Missarum, candelarum, aut cultricis in funere: vel aliquod onus imponat Clericis, vt foro fruantur. Si vetaret Clericis frui priuilegio alicui communitati concessio. Si prohiberet laicis prorogare Ecclesiasticam iurisdictionem. Si ferretur communiter pro laicis, & Ecclesiasticis, v. gr. quod auferantur arma inuenta horis prohibitis etiam a Clericis. Quod non imprimantur libri etiam Clericorum sine licentia Principis. Quod non extrahantur victualia à territorio etiam à Clericis: vel in territorium ab ipsis non introducantur. Equidem ex vi statuti laicalis iniuste auferuntur à Clericis victualia contra pragmaticam inuenta: vendita supra taxam, cum falsis ponderibus, aut mensuris: aut vexantur eorum ministri hæc peragentes: v. gr. cum coguntur præstare fideiussionem de soluendis pœnis, si in vini venditione fraudem commiserint, &c. Non comprehenduntur Clerici in Principum monopolis, v. gr. si in aliqua ciuitate adesset statutum, vt aliqui tantum vendant vinum, &c. hoc statutum non impediret quominus Clerici possent exponere tabernas: etiam si pecuniam ciuitatis infumeret in Hospitalis, aut Monasterij alicuius sustentatione; nisi publica utilitas æquè

æquè primò Clericos, & laicos respiciat. Lege *Molinam de Molin.*
iust. tom. 1. tract. 2. d. 147. num. 13. Sanchez sum. tom. 1. lib. 3. Sanch.
cap. 2. num. 15. Torres 2. 2. q. 87. a. 1. d. 9. num. 17. Sanchez de Torr.
Matr. tom. 1. lib. 4. dis. 23. n. 2. Vasquez de Rest. c. 6. §. 1. dub. 2. Vasq.
n. 34. Paluum tom. 1. tract. 3. d. 1. p. 14. §. 6. n. 2. & 9. Pal.

105. Dixisti statuta Papalia sufficere promulgari Roma, ut obligent: rogo, an Episcopi post notitiam publicationis Romana, possint subditos ad observantiam cogere? Probabile est posse, & probabile non posse, nisi illis Pontifex id præcipiat. Si autem Pontifex significaret se velle, ut lex absque alia publicatione ubique seruetur, tunc tenentur Episcopi procurare observantiam: non tamen legem promulgare, nisi lex ad ipsos dirigatur proferenda. ex prædictis.

106. Quid de legibus Tridentini, ubi receptum non est? Leges pœnales non ligant incolas, vel alienigenas commorantes; fauorabiles verò scio ex aliquorum sententia fauere, etiam his locis, At Sanchez apud Barb. de pot. Episc. p. 2. alleg. Sanch. 39. num. 3. contrarium docuit.

107. Pontifex legem promulgat, Episcopi, & Principes, qui §. 5. tunc viuunt, non admittunt; ad quid successores tenentur? Ex *Varia de Becano*, respondeo omnino eos ab huius legis observatione legibus. excusari; quia verè non extat tunc, cùm ad illos pertinet Becan. dominatus.

108. Quantam aetatem leges ligare incipiunt? Affirmo non ligare ante septennium, etsi subditus vsum rationis habeat; quia ad ea, (Sanchez ait) quæ frequentius accidunt, leges Sanch. adaptatur: per accidens autem est, aliquem ante septennium vsum rationis pollere.

109. Vt lex per non vsum abrogetur, requiritur ne certum tempus, v. g. decem annorum? Sentio cùm Suario non requiri, Suar. sed solum populi repugnantiam per actus contrarios sufficere; quia nullum ius præscribere certum tempus inuenitur. Imo Azorius affirmat sciente Principe, & non repugnante, & Azor. eius auditoribus, & Episcopis duos, vel tres actus contra legem sufficere.

110. Dixisti legislatorem, qui superiorem non habet, teneri legibus quæ omnes obligant vi quidem non coercitiua, sed directiua: rogo, num lethaliter delinquat illas non observando? Respondeo ex doctrina Lessij non peccare; nisi iurauerit, se Less. illas seruaturum.

111. Dubitas, an lex sit vsum recepta, vel an obliget ad mortale: cuius sententia est tibi adharendum? Mitiori; quia melior Azor. est conditio possidentis. sic Azor. Vnde similiter Meratius Merat.

affirmat, in dubio, an consuetudo sit inducta ex obligandi intentione, vel tantum prætextu deuotionis? hoc posterius esse eadem ratione præsumendum.

Baldel. 112. *An regula Cancellaria obligent in foro interiori? Non obligant. Quare donatio inter viuos, v.g. per Episcopum facta intra viginti dies ante obitum valet in foro conscientia, licet per regulam Cancellaria in foro externo sit nulla. Baldellus sic.*

Laym. 113. *Si subditi sciant superiorem iudicare consultum, ut aliquid ab ipsis geratur, idemque velle, aut optare: exequi ne illud teneatur? Non, si superior voluntatem obligandi externo præcepto non intimat. Laymanum sequor. Interim consilij tibi sit, quoadcunque signum iustæ voluntatis Prælati instar præcepti habere.*

Laym. 114. *In quo differt lex seu statutum commune à præcepto, seu mandato ad personas singulas tendente? Respondeo ex Laymano in eo quod lex seu statutum perpetuò manet ob continuam communitatis successionem: neque extinguitur nisi à legislatore, eiusve successore reuocetur, vel derogetur desuetudine: præceptum autem, seu mandatum tendens ad personas singulas cum ipsis plerumque extinguitur, imo etiam per mortem præcipientis.*

Laym. 115. *Quandònam à foro seculari ad Ecclesiasticum licet recurrere? Quando secularis iudex nolit iustitiam administrare, inter Christicolæ Ecclesiasticus iudex adiri potest. Præterea si ciuiles leges peccata foueant, & animarum saluti repugnent, ad Ecclesiasticam potestatem pertinet prohibere. Laym. & alij.*

Laym. 116. *Dixisti actus internos ab humana potestate præcipi, vel prohiberi posse concomitantè, quatenus requiruntur ad actuum externorum moralem substantiam: rogo, utrum si ebrius, dormiens, aut mentis inops dicat Hoas Canonicus, præcepto satisfaciat? Non satisfacit, sed ad mentem si redeat, debet iterum recitare; quia illa actio humana non fuit. Si autem aliquis in somno (Layman addit mentis impotentia, vel per vim adductus decimas soluat Parocho, materialiter & in effectu satisfactum est legi; quia effectus ille imperatus non requirit à legislatore voluntatem, sed quod efficiatur decimæ soluantur. Qui autem ob metum opus præceptum exequitur, satisfacit ne legi? Ita planè. v.g. puer, qui à Pædagogo metu adactus Missam attentè audit, licet expressam habeat intentionem non audiendi, si Pædagogus abesset: nihilominus opus præceptum implet, nec aliam Missam tenetur*

Examen II. De diligendo Deo. 59

tenetur audire; quia licet inuitus actionem assistendi ab Ecclesia imperatam impleuit, peccat tamen secundum affectum internum peccato commissionis. ex *Laymano* dici.

117. *In his, quae ad corporis naturam pertinent propagandam, & conseruandam, tenemur ne aliena potestati obedire?* Homo in his sui iuris esse debet, & soli Deo subiectus. Quae causa est, (loquor cum eodem *Doctore*) vt serui dominis, parentibus filij obedire in matrimonio contrahendo, aut virginitate seruanda non teneantur. *Laym.*

118. *Valet humana potestas interdum praecipere, aut prohibere aliquid cum periculo mortis?* Posse *Laymanus* affirmat, si videlicet ex obseruantia legis aut praecipri maius Reipublicae commodum speretur: vel ex neglectu maius incommodum timeatur, quam priuatum periculum mortis debeat aestimari.

119. *Obligatio legis extenditur ne ad actus praeteritos?* Solum extenditur ad futuros. Quatenus tamen lex declaratoria est (addit *Layman.*) etiam ad actus praeteritos se extendit. *Laym.*




EXAMEN SECVNDVM.

De legibus in particulari circa materiam
Primi Mandati Decalogi de
Diligendo Deo.

CAPVT SECVNDVM.

De Decalogo ^{non} nulla praeimitto.

I.  *Votnam sunt Decalogi praeptra, (vt legum in particulari diuinarum seriem discutiamus) & quamnam in parte sacrae paginae continentur? Sunt decem Exodi vigesimo capite exarata. 1. Non habebis Deos alienos coram me. 2. Non assumes nomen Dei tui in vanum. 3. Memento, vt diem Sabbathi sanctifices. 4. Honora patrem tuum, & matrem tuam. 5. Non occides. 6. Non machaberis. 7. Non furtum facies. 8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 9. Non concupisces uxorem proximi tui. 10. Non desiderabis domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bovem, non asinum, non omnia, quae illius sunt.*

2. *Sunt*

2. *Sunt ne praecepta haec naturalia, an positiua diuina? Sunt naturalia, tertium si excipias; quamuis enim ex iure naturali Deum certo die colere teneamur, determinatio tamen talis diei vel fuit ex praecepto diuino positiuo, vt in veteri lege Sabbathi sanctificatio: vel est ex praecepto positiuo Ecclesiastico, vt modo obseruantia Dominica, vel solemnia Sanctorum.*

3. *Quare Praecepta Decalogi sunt forma negandi ferè expressa? Id factum tribus de causis. 1. Quia ea forma valet ad coërcendos impios à flagitiis. 2. Quia negatio latius patet, quam affirmatio, vt praeceptum de non habendis diis alienis, quam de vno Deo colendo. 3. Quia negatio apertè includit affirmationem; si enim non habendi sunt dii, ergo vnus Deus colendus: similiter sub affirmatione negatiuum continetur, vt sub praecepto honorandi parentes, de iisdem non contemnendis praeceptum includitur.*

4. *Quo differunt negatiua ab affirmatiuis? Affirmatiua quidem obligant semper, sed non pro semper, id est omni tempore; non enim teneor omni tempore parentes honorare: negatiua autem obligant semper, & pro semper; nullo enim tempore licet fornicari, furari, &c. illa quidem omissionis, hæc commissionis peccato violantur.*

5. *Quale peccatum transgressio alicuius Decalogi praecepti? Mortale, nisi trium causarum aliqua excuset; 1. defectus deliberationis, 2. defectus pleni iudicij, 3. paruitas materiae modo ad huiusmodi materiae paruitatem contemptus non accedat, de quo sigil. 2.*

6. *Præter hæc praecepta naturalia in Decalogo scripta sunt ne alia naturalia praecepta? Sunt equidem, & præcipua dilectio Dei, ac proximi; attamen in illis implicite continentur: nec in Decalogo adnumerantur explicite, quia sunt principia naturalia, prima, quæ naturæ ducatu ostenduntur. Fateor communi opinione praeceptum de diligendo Deo cum primo Decalogi non merito confundi: *Non habebis Deos coram me*, quibus quidem verbis solum peccatum superstitionis, & idololatriæ, quod est contrarium Religionis, & latriæ virtuti, prohibetur. Igitur praeceptum de proximo diligendo in materiam charitatis referendo, communi errore de praecepto diligendi Deum periculum facias.*

CAPVT II.

Præceptum de diligendo Deo.

7. **Q**uoniam modo Deus est à nobis diligendus? Quemadmodum nos IESVS apud Marcum cap. 1.2. ex Deuter. 6. docuit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Ex toto corde, id est, ex tota mentis intentione; ex tota mente, id est, ex toto intellectu; ex tota anima, id est, ex toto affectu; ex omnibus viribus, id est, per omnia externa opera; ex omni mente, id est, ex toto interno obsequio.

8. *Tenemur ne Deum summè diligere super omnia intensuè?* Non, sed solùm appretiatiuè, hoc est, vt cum, cuiusque amorem pluris, quàm aliquam creaturam æstimemus; & propter illius amorem potius mortem oppetere, quàm ipsum vel corde, vel verbo, vel opera mortaliter delinquendo negare.

9. *Num tenemur perpetuò in actu diuini amoris esse?* Minimè; nec enim huiusce miseræ vitæ conditio somno, aliisque diuerticulis abeirans patitur.

10. *Quando nam hoc præceptum sub mortali obligat?* Cùm sit affirmatiuum non pro quocunque obligat tempore. Existimo itaque solum obligare pro eo tempore, in quo homines tenentur actu contritionis operam dare.

11. *Quando autem contritio procuranda?* Cum adest mortis periculum. Cum administraturus est, vel recepturus aliquod Sacramentum. Cùm actum ordinis solemniter facturus, v. g. cantaturus Epistolam cum manipulo, aut Euangelium cum stola, vel quamuis aliam actionem officio, Ordini- que solemniter annexam, si criminis lethalis illigetur vinculo, & copia confessarij careat.

12. *Num delinquat, qui Deum amat præcisè, quia ab eo accipit, vel sperat accipere seu spiritualia, seu temporalia bona?* Delinquit planè mortaliter.

CAPVT III.

De Adoratione.

13. **C**um in primo precepto propriè Dei adoratio precipiatur, adorationis expende definitionem. Adoratio est exhibitio reuerentiæ propter excellentiam illius, cui exhibetur. Eius tres sunt actus. Primus intellectus, quo adorati excellentiam cognoscimus. Secundus voluntatis, quo nos ei subiicimus. Tertius adorationis effectus, qua nostram subiectionem patefacimus.

14. *Quotuplex adoratio?* Alia interna, alia externa. Alia *Latriæ*, quæ debetur Deo; alia *Hyperdulix*, quæ debetur B. Virgini; alia *Dulix*, quæ debetur Sanctis. Alia denique absoluta, quæ conuenit rei intellectuali: & alia respectiua, quæ conuenit rebus ratione carentibus, quæ non propter se, sed propter alium honorantur.

15. *Num una Trinitatis persona possit distinctè ab aliis adorari?* Potest, modò aliæ personæ explicite non excludantur.

16. *Sancti ne in cælo degentes adorandi sunt?* Quis dubitet, si etiam viri Sancti nondum relati in numerum Sanctorum coli & adorari possent cultu quidem priuato, non publico.

17. *Christus homo, id est subsistens in natura humana & diuina, adorandus ne est adoratione latriæ, qua adoratur Trinitas, & singulæ Trinitatis personæ?* Maximè. At humanitas illius per se, & præcisa persona Verbi diuini *Hyperdulix* est adoratione colenda. Dum autem colimus Christum, naturam humanam vt assumptam à Verbo diuino adoramus, eique ineffabilis vnionis vinculo annexam.

18. *Quid de sacrarum imaginum usu?* Licitus est & honestus, proponendæque imagines Dei, & Angelorum, licet sint puri spiritus, eos per quandam metaphoram repræsentantes; quia Deus aliquando sub forma visibili apparuit. Imo adorari potest ipsamet imago, sed adoratione tantùm respectiua.

19. *Num lignum Crucis Dominica, & alia passionis instrumenta, qua Christum tetigere adoranda?* Ita planè, latriæ quidem adoratione respectiua. At instrumenta quæ modo conficiuntur ad repræsentanda instrumenta illa, quæ in Christi sunt adhibita Passione, non possunt adorari præcisè quatenus

repræ

repræsentant instrumenta antiqua, sed quatenus Christi passionem, siue Christum passum repræsentant.

20. *Reliquiæ ne adorandæ sunt?* Maximè, & deuotè quidem custodiendæ, eadèmq; illis impendenda adoratio, quæ personæ cuius sunt reliquiæ tribuitur. *Quidnam per reliquias intelligis?* Corpora, ossa, cineres, vestes, pannos, &c. quæ Sanctorum corpora, vel reliquias attigerunt. Admonuero tamen reliquias, quæ publicè exponuntur, non esse absolutè adorandas, nisi postquam fuerint per Papam, vel Episcopum approbata.

CAPVT IV.

Praxis, ex Societatis IESV Doctoribus circa materiam de diligendo Deo.

21. **D**ixisti, præcepto charitatis teneri nos aliquando Deum §. 1. *De Deo*
 actū elicitō diligere: quoties, & quando tenemur? *Pu-*
 tat *Vasquez* 1. 2. tom. 4. quæst. 86. art. 2. sufficere, si diligamus dilectio-
 in fine vitæ. Multa tempora alij assignant: quando suscipi-
 tur Baptismus: quando præceptum contritionis obligat: *Vasq.*
 quando insigni Dei beneficio donamur: quando est causa
 subeundi Martyrii: quando restituendum est blasphemanti-
 bus, aut Dei honorem, & nomen contemnentibus: quando
 tenemur diligere proximum: singulis diebus festis. Has
Palao tom. 1. tract. 6. d. 1. part. 4. num. 3. & 4. impugnat me- *Palao.*
 ritò. Igitur meis hærendo Doctoribus assero in primis, teneri
 nos Deum diligere in articulo mortis; quia lege charitatis
 propriæ tenemur omnia damnationis vitare discrimina: &
 æternæ vitæ securitatem quærere, prout possumus; idque sa-
 tis per Dei amoris actum obtinemus. *Hurtad. de Mendoza* *Hurt.*
 2. 2. d. 174. sect. 6. §. 27. Deinde paulò post rationis usum, quan-
 do quis iam aduertit, & secum reputat rationes amandi
 Deum, cogitando de eius bonitate, & beneficiis. Non ita ta-
 men, vt statim peccemus, si habita Dei sufficienti notitia, eum
 non diligamus: hoc enim nimis graue esset; sed quod seclu-
 sa omni ignorantia, & inaduertentia, non possumus sine graui
 peccato hanc dilectionem multo tempore differre, id est,
 ultra annum. *Coninch. d. 24. sub. 3. num. 50. Serupulis angor,* *Conin.*
vt um huic præcepto satisfecerim. Quando probabiliter, &
 posituè non memineris te omisisse, persuadere tibi potes;
 vel fecisse satis, vel inculpatè omisisse, & sic minimè peccasse.

Petrus

- Hurt. Palao.** *Petrus Hurtado 2. 2. d. 172. sect. 5. §. 24. Alhuc instar scrubulus, me huic tunc non satis fecisse præcepto. Hæresce Palao tom. 1. tract. 6. d. 1. part. 4. num. 2. asserenti probabiliter hoc præceptum post usum rationis non obligare. Tertio asserit*
- Hurt.** *Hurtado de Mendoza 2. 2. d. 74. sect. 6. §. 36. adesse per annos singulos implendi huius præcepti obligationem: imo remissius nobiscum agi, quod sapius non petatur. At Coninch obligationem annuam iudicans datam, putat hoc præceptum ad tres, vel quatuor annos non esse differendum. Quarto addit Hurtado citat. teneri nos Deum diligere per se, quando odij Dei tentatio vrget.*
- Conin.**

22. *Rogo, an per accidens possumus obligari ad Deum diligendum? Ita planè, cum si tentationem grauem aliter vitare non possumus, tum quando administratur Sacramentum est lethali crimini obnoxius, & non potest confiteri. Mendezæ ubi supr.*

- §. II. De Adoratione. Granad.**
23. *Circa Adorationem autem quaesierim. Num liceat sanctum beatificatum sic honore prosequi, ut ex deuotione recites eius officium extra diem eius festum, aut commemorationem eius in Missa facias? Granados affirmat non licere, & contra facientes peccare mortaliter. Existimo tamen non esse lethale, si id solum semel, aut bis fieret. Item quando conceditur aliquibus Religiosis facultas Missam de talibus Beatis celebrandi in suis Ecclesiis non posse illam alibi celebrare sub eadem pœna sentit Granados, à qua semel aut bis contrarium gerentem absoluerim.*

24. *Quando in beatificatione alicuius Pontifex concedit Sacerdotibus alicuius Religionis, ut possint de illo Missam celebrare, licet ne aliis Sacerdotalibus, seu secularibus, seu Regularibus de eo Beato in assignata Ecclesia Missa celebrationi dare operam? Minimè; quia illud priuilegium tantum conceditur Sacerdotibus illius Religionis, cum illi soli in Bulla exprimentur. Sic Turrianus & alij.*
- Turriã.**

25. *Potest ne Episcopus diem festum alicuius Beati nondum canonizati instituere? Sanchez negat, sed suarius & Fagundes affirmant. Porro nec licet talem Beatum in publicis litanii inuocare, neque eius imaginem cum radiis vel diademate depingere, vti Bellarminus affirmat.*
- Bellar.**

26. *Si caro aut Sanguis Christi miraculosè in Eucharistia apparet: num adorandus? Adorare tenemur cultu latriæ. Sic Canisius.*
- Canis.**

27. *Potest ne imago, & exemplar adorari vna, & eadem adoratione, qua prototypum? v. g. potest ne Crux Christi adorari latria*

Examen III. de iuram. circa Mandat. 65

latria adoratione, qua ipse Christus adorandus est? Potest, imò debet; quia imago cum exemplari, & exemplar in imagine adoratur. Ex eodem.

Canis.


28. *An adoranda nomina IESV, & MARIA? Maximè: adoratione quidem respectiua, propter eum, quem representant, & ad quem diriguntur. Adhuc Canisus.*

Canis.

29. *Quidnam de cereis iuxta reliquias vel imagines Sanctorum accendendis, reliquiis ad collum appensis deferendis, agnis cereis adorandis? Licitum planè cereos accendere, deferre reliquias. Num speciale peccatum committitur ab eo, qui delinquit, cum reliquias ad collum gerit? Minimè. Agni denique cerei adorari debent vti imago IESV. At vendi, aut minio, auro, aliòve colore pingi sub excommunicatione prohibentur.*

30. *Vt reliquia alicuius Diui recens inuenta possint adorari, quidnam precedere debet? Sunt ab Episcopo approbandæ. Ad huiusmodi autem approbationem requiritur in primis certitudo moralis, non autem euidencia, quæ nitatur infallibilibus argumentis: deinde vt ille Sanctus sit canonizatus.*

Bellar.




EXAMEN III.

De legibus in particulari circa materiam de Iuramento & Blasphemia.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit iuramentum, cuiusnam est virtutis actus, & quònam modo diuiditur?

I.  *Vidnam iuramentum? Si nominis etymon spectes. Actio est, qua Deus in testem inuocatur; si interiorem essentiam. Affirmatio est, vel negatio, sacrae rei attestazione firmata, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam. Tria quidem ad illud concurrunt, intellectus necessitatem, vel utilitatem proponens, voluntas iurandi intentionem addens, & lingua, se imòne iuramentum complens.*

2. *Num malum intrinsecè iurare? Minimè, & ideo nec iure naturali, nec in lege gratiæ prohibitum, si debitæ seruentur circumstantiæ.*

E

3. *Bonum*

3. *Bonum ne iuramentum, debitis seruatis circumstantiis?* Bonum planè, & actus Religionis, ad quam si debitus modus in iurando seruetur maximè pertinet.

4. *Licitum ne per creaturas iurare?* Ita quidem, neque id est à Christo prohibitum, nec alio positiuo iure, nisi scandalum adsit. Per irracionales absolute iurari non potest, sicuti per rationales, vt Sanctos, & viatores: suo autem modo licitè potest: nullo autem modo per daemones, & damnatos.

5. *Differunt ne specie iuramenta per Deum & creaturas?* Absolute loquendo non differunt; si tamen creaturæ secundùm se sumptæ accipiuntur, sic utique differunt.

6. *Quinam iuramenti finis?* Confirmatio veritatis: ad eam etenim iuramentum comparatur sicut principia ad conclusionem.

7. *Quotuplex est iuramentum?* Quadruplex. Assertorium, in quo affirmatur, aut negatur aliquid præsens, vel præteritum. Promissorium, in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo. Comminatorium, in quo promittitur malum pœnæ. Execratorium, in quo siue promittendo, siue asserendo, aliquid affirmatur, vel negatur, sibi apponente pœnam iurante. Comminatorium quidem ad Promissorium, Execratorium autem ad Promissorium, & Assertorium reuocatur.

8. *Assigna iuramenti materiam & formam?* Materia quidem res contingens esse debet: verba autem, sufficientiæve signa sunt ad formam. Verum ex parte formæ triplex est. Primum verba'e, cum sit solis verbis. Secundum corporale, cum solis corporis actionibus geritur. Tertium mixtum, cum signum ex verbis factisque compositum est.

CAPVT II.

De Iuramenti conditionibus.

5. *Quanam adesse Iuramento conditiones requiruntur ex parte eius, per quem iuratur?* Debet per Deum verum fieri, vt obliget, siue explicitè, siue implicitè per creaturas in ordine ad Deum. Nam si per falsos Deos fiat, non obligat, nisi ratione erroneæ conscientiæ. Ideo infideles conuersi ad sua iuramenta non tenentur, licet tamen pacta inter eos inita firma sint ex obligatione iustitiæ, vel fidelitatis. Nec fidelis si per Deos iuret ex vi iuramenti adstrictus est. Nec iuramentum

Examen III. De iuram. circa Mandat. 67

mentum per creaturas, quæ Deus existimentur, vt sol, &c. verum est. Qui per Dæmonem iurat, non manet obligatus, nisi ex falsa conscientia verum iuramentum ab aliquo censeatur. *Num per Sanctos Angelos, vel Homines obligaret, si ex intentione iurantis in eorum auctoritate sisteretur?* Minimè ex vi iuramenti; obligaret tamen (vt aduertit Filliucius) ex virtute Dulciæ, quæ Sanctis exhibetur, illa promissio sub graui peccato. Iuramentum per creaturas sine ordine ad Deum non solum non obligat, verum nec qui fallum, per lapidem iurat, periurus est, nisi vel idolum intelligatur, quo verus Deus errore censeatur: vel quid consecratum, & sanctum, tanquam creatura & scabellum Dei, quo pacto periurus esset.

10. Ex parte item illius, qui iurat, quanam requiruntur conditiones? Necessaria est libera voluntas eius, ideòque intentio deliberata, qualis ad mortale peccatum satis esset. Qui igitur iurare non intendit, non obligatur. *Intendo iurare, sed non intendo promittere, num obligor?* Ita planè: intentio enim non se obligandi cum iuratur, iuramenti obligationem non tollit, siue homini, siue Deo iuramentum præstetur. *Simulatum iuramentum num obligat?* Cum prudenti sit amphibologia, & absque alterius iniustitia, non obligat, quia verum iuramentum non est; quando verò dolo malo fit licet ex vi iuramenti directè non obliget, teneris tamen ad illud implendum iuxta sensum intentum, & obligaris præterea ratione iniustitiæ, & damni inde secuti. *Exortum ne per iniuriam obligat?* Maximè, si absque peccato impleri possit; quia absolute voluntarium. Et quamuis latroni factum irritum sit iure naturæ, confirmat tamen assertionem, quamuis minimè promissionem. Hinc iuramentum de soluendis vsuris introductorium dicitur, affert enim obligationem, & confirmat assertionem: *Soluam tibi vsuras. Iuramentum ne ex metu sine iniuria illatum obligat?* Maximè; & etiamsi intercedat iniuria, vim habet obligandi, si de materia capaci sit, & impleri honestè possit. *Obligat ne factum per errorem.* Si error sit in substantia rei, non obligat; error enim siue det causam contractui, siue incidat in contractum, obligationem aufert; si verò sit circa extrinsecam causam, non irritat, nisi materiam substantialem afficeret.

11. Quanam denique conditiones requiruntur ex parte materis, circa quam fit iuramentum? De se bona debet fieri, & ita emissum obligat quantum est ex se, nisi maius bonum impediatur. *Quid si maiori bono repugnat?* Probabile quidem

est promissorium non obligare; at contrarium reputo probabilius. Si sit de re mortaliter mala? Non obligat, neque de mala venialiter. Si sit de re indifferenti? Etiam non obligat, nisi ad honestum finem referatur. Num si fiat de mali operis omissione obligabit? Ita equidem; minimè autem de opere supererogationis, neque de mala re per diuinam legem positivam prohibita, neque factum contra prius iuramentum, aut votum, aut simplicem promissionem, modò honesta fuerit; neque si de re sit humana lege prohibita, vt Canonica, vel Ciuili, modò hæc de re sit, quæ sine peccato seruari possit; neque contra bonos mores naturales. Non obligat iuramentum illicitè factum? Potest obligare, modò ex illicita materia non sit, nec illicitæ promissioni iungatur.

CAPVT III.

De tribus conditionibus requisitis ad Iuramenti
sanctitatem, & de grauitate
transgressionis.

§. 1.
Tres cõ-
ditiones
ad iura-
menti san-
ctita-
tem.

12. **Q**uidnam in iuramento requiritur, vt sanctum sit? Tres conditiones habere debet, vt scilicet adsit veritas, iustitia, & iudicium: sine veritate est mendax: sine iustitia, hoc est, cum sit de re illicita, est iniquum: sine iudicio, hoc est, debita reuerentia, seu exigente occasione & necessitate, est indecens. Ex defectu trium harum proprietatum iuramentum est peccatum.

13. Quòdam peccatum est veritatis defectus? Mortale semper siue materia sit grauis, siue leuis, imò quò res est leuior, eò grauius crimen. Incertum igitur, pro certo iurare, mortiferum est semper, & qui habitum pro falso iurat, licet verum sit aliàs, periurus est; secus si probabiliter putauit verum, licet aliàs falsum esset. Sub dubio iurare, semper mortale, licet verum sit; quia me periurio expono. Num consuetudo iurandi mortalis sit? Si cum veritate fiat, mortale peccatum non est; secus si promiscuè, hoc est, etiam cum admixta frequenter falsitate, sine debita addita cautela, tunc enim iuramenta illa periuria censentur: secus si cautela plerumque adhibeatur, licet aliquando quis in falsum prolabatur.

§. 2.
Trans-
gressio iu-
ramenti.

14. Est ne mortale crimen defectus iustitiæ? Profectò mortalis est defectus huiusmodi in materia graui, venialis au-
tem

rem in leui materia. v.g. iuro per Deum me ab hoste vindictam sumpturum: si vindicta sit grauis, grauiter deliqui; si leuis, leuiter. *Quid si non intendam implere, sed terroris gratia solummodo iurauit?* Siue grauis vindictae verba sint, siue leuis, mortale crimen est; qui veritas abest. Vnde in leui materia, quando v.g. parentes, aut domini filiis aut famulis, adhibito iuramento minas iactant, oportet implendi habere intentionem, licet iniusta sit vindicta; quia illa leuis iniustitia solummodo venialis est, at intentionis defectus mortalis, ob absentiam veritatis. *Quidnam postquam cum intentione iurauit leuem filij, v.gr. aut famuli percussorem, matrem v. iurante, non impleuit?* Si supplicium illud erat iniustum, facius non opere exequi: quia venialis executio, sicut venialis iuramenti iniustitia; si autem iusta vindicta, in re graui, scilicet, quando ex indulgentia graue malum exoritur, mortale est in re leui: veniale non adimplere. *An mortale non implere iuramentum promissorium?* Non semper, vt si de re sit illicita; alioqui si licita res sit, & voluntarie non impleatur, mortale est, nisi materiae leuitas excuset. *Peccatum ne absque intentione iurare?* Iurare quidem non absque intentione implendi (de quo supra) sed absque iurandi intentione, ex genere mortale est, etiam si cum veritate: non autem mortale, cum iniuste exigitur iuramentum. *Iuro rem malam impossibilem, grauius ne delinquo?* Non, si cum ignorantia iuras, quod sit impossibile. *Iuro me peccatum commissurum: quoniam me crimine illo?* De veniali committendo, veniale iuramentum est: de mortali, mortale.

13. *Iuramentum absque iudicio aut necessitate, est ne mortale?* Non, sed solum veniale, nisi modus incautus, & temerarius esset.

CAPVT IV.

De iuramenti amphibologia.

16. **V**Ti in iuramento amphibologia, hoc est, verbis alio sensu, quam alius accipiat, est ne peccatum? Malum intrinsecè non est, saepe peccatum esse potest. Ex causa quidem honesta periurium dici non potest, & si verba sint æquiuoca, ex honesta causa amphibologia vti licitum est. Si tantum huiusmodi æquiuocatio sit in mente, nec eam verba ipsa includant, probabilis sententia est, haud licitum esse iurare: sed probabilius illicitum non esse.

E 3

17. Verba

17. *Verba ne aliqua honestari possunt, ut iuramenta non sint, licet communiter iuramenta habeantur?* Pluribus Sanchez huic quæstioni satisfacit, consulendus. Interea nonnulla verba huiuscemodi à iuramento libero, *In mea conscientia*, cum intendo animum ipsum exponere, iuramentum est: cum solum cognitionem, minime. *Per salutem meam, Per meam vitam, sic Deus me adiuuet, &c.* Si intendo animum ipsum periculo addicere, iuramentum est: si non animum, sed exteriorem viuendi rationem, ut est *cibus, potus, cultus, aër, &c.* non est ex Saa & aliorum sensu iuramentum. Alios loquendi modos adinuenit desiderium non peierandi, scilicet, *Possum iurare per Deum, per Christum: iurabo per Deum; si iuro per Deum, quare mihi fidem non praestas?* Qui quidem loquendi modi licet imperitis, vel incautis iuramenta videantur, verè, cum nihil affirmetur, sed suspensa sit oratio, iuramenta non sunt.

CAPUT V.

De commutatione, dispensatione, & interpretatione iuramenti.

18. **P**otest ne iuramenti obligatio auferri? Variis equidem modis. Primò, irritatione, cum iuramentum auferitur ex parte materiae, ob dominatiuam potestatem v. g. parentis, mariti. Secundò, Dispensatione, cum eius obligatio soluitur per superioris facultatem. Tertio, Condonatione, siue relaxatione, cum obligatio à creditore remittitur. Et quidem Promissorium potest irritari, nec in huiusmodi irritatione causa requiritur ad valorem.

19. *Quinam irritandi iuramenta obtinent potestatem?* Papa irritat ex materia ipsi subiecta, ut etiam laicus Princeps, nec non parentes re alia & personalia filiorum iuramenta, domini seniorum, tutores pupillorum in quibusdam casibus. Directè absque materiae mutatione probabile est, irritari non posse. Homini factum per condonationem auferitur, ut dixi etiam si intuitu Dei factum sit: & certè huiusmodi condonatio peti potest ab eo, in cuius utilitatem iuramentum factum esset. *Mutuo iurantes per modum reciproca promissionis, in mutuam utilitatem facti:* Remittere ad inuicem possunt; si intuitu diuini seruitij non possunt. *Quid si vnus ex pietate in Deum, alter verò solo respectu humani contractus iurauerint?*

vint? Remittēte vno, v.g. paupere promissa à diuite sponsalia propter Deum, diues liberatur.

20. *Potest ne in promissorio dispensari? Et quisnam dispensandi facultate fungitur?* Potest quidem per subtractionem materia, qua dispensans vice Dei debitum remittit, vel commutat in aliud. Et quidem Episcopi ordinariam potestatem in dispensando habent, præterquam in reservata.

21. *Num iuramenta homini præstita absque eius consensu relaxantur?* Minimè, nisi cum turpitudine creditoris esset, tunc enim, eo invito, relaxari possunt.

22. *Qua autem Deo soli sunt facta?* Papa cuncta relaxat, Episcopus suorum non reservata subditorum. Civilis potestas non relaxat, neque dispensat hoc modo. Etiam periurus dispensari potest, siue periurium occultam sit, siue publicum.

23. *Requiritur ne causa relaxationi?* Maximè, & sola turpido ex parte iuramentum exigentis, satis est; vt etiam graui cum iniuria quilibet metus.

C A P V T I V.

De Blasphemia, & Maledictis.

24. *Quid est Blasphemia?* Laus Dei, quæ in secundo Præcepto continetur, manifestatio quædam est alicuius excellentiæ cum affectu voluntatis. Laudi opponitur Blasphemia, verbum scilicet maledictionis, conuitij, vel contumeliæ in Deum. *Non omnis Blasphemia contra fidem.* Non; quia nec omnis cum interiore assensu falsi.

S. I.
Blasphemia.

25. *Quæduplex illa?* Multiplex, tum ratione verbi quod in Deum profertur; tum ratione formæ loquendi; tum ratione obiecti, in quod contumeliosum verbum effertur; tum denique ratione grauitatis.

26. *Si quando effertur in Sanctos erit ne Blasphemia?* Erit planè, si simul de Deo cogiteretur intentione illi detrahendi; vel proferatur in Sanctum sicuti in amicum, vel ministrum Dei: sed si tantùm consideretur excellentia sanctitatis, in qua talis respectus fundatur; tunc enim erit tantum imperfectè, & indirectè Blasphemia.

27. *Quodnam peccatum Blasphemia?* Ex suo genere peccatum mortale & quidem inter grauissima, grauius tamen odium Dei, hæresis, & desperatio, Distinguitur eius malitia

ab infidelitate, atque periurio, & omnes eiusdem speciei sunt, si hæreticales excipias. Denique quæ in Deum, & in Sanctos effertur, ad eandem speciem malitiam reuocatur.

28. Num aliquando venialis Blasphemia? Consuetudo quidem absque aduertentia, lethale peccatum non facit, eadem autem si voluntas directa, vel interpretatiua blasphemandi adsit, mortale peccatum erit.

§. 2.
Maledicta.

29. Quidnam de maledictionibus in creaturis dicendum? Maledictum contra creaturas, tanquam quid Dei, Blasphemia est. Si rationales maledicantur oprando illis graue malum, mortale crimen est; si leue, veniale. Irrationales verò si secundum se maledicantur, veniale erit, secus si ratione Domini, cui graue malum desideretur; lethale enim peccatum esset. Admonuerim rarò quem cum intentione deliberata maledicere, licet ex præcipitatione sibi plenè desiderare quod imprecatur proximo, videatur. Regulam accipite, quam magis ab experimento, quam auctoritate accepi. Sæpe indignationis feruore maledicta iactas, quæ magis ex præcipitatione indignationis, quam ex libertate procedunt. Assoles interdum in amicos indignari, vt filios, famulos, vicinos: interdum in inimicos, cum ex inimicitia affectu maledicta prodeunt, plerumque cum plena intentione feruntur: cum autem in amicos, rarissimè ex intentione exoriuntur, sed solùm ex perurbationis ebrietate: vnde lethalia peccata non erunt. Si interrogaris mox post prolationem maledicti, num intendas filium, aut famulum à diabolo arripi? respondebis: Minimè planè. Fateor quosdam tam immoderata passione perturbari solere, vt etiam illo instanti vel filios intendant deperire. Id quod prudentia Confessarij ex diligenti examine relinquo.

C A P V T VII.

Praxis, ex Societatis Doctoribus, circa materiam de iuramento, &c.

§. 1. 30. **P**otest quis in foro conscientia iurare, quod à viro fide digno audiuit? Potest, quia non cedit veritati. Attamen id non sufficit in exteriori iudicio, in quo testis tenetur reddere rationem sui dicti. Sanchez *Sum. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 13.*

31. *Licet*

Examen III. De iuramenti circa Mand. 73

31. Licet ne aliquem inducere ad iurandum falsum, quod tamen ipse iuraturus ex ignorantia verum putat? Negat Azor. Azor. tom. 1. lib. 4. c. 11. quest. 1. quia teneor vitare crimen in altero. Affirmat autem Petrus Hurtado 2. 2. d. 173. sect. 16. §. 199. Hurt. quia proximus tunc non inducitur ad effectum formaliter malum, cum ille iurando non delinquat; nec materialiter, cum potius mutari hic & nunc sit bona, quàm mala: nempe actus Religionis, & honoris Dei.

32. Possum autem conscius veri, inducere alium ad iurandum id, quod ille ignorat? Minimè, nisi iuraturus prius sibi persuadeat rem ita esse fundamento probabili; quia iurare sine dictamine pratico de honestate iuramenti, est mortale. Hurtado citat. sect. 5. §. 200. Hurt.

33. Licet ne, petere iuramentum ab eo, quem timeo, falsò iuraturum? Licet, dummodo non petatur, vt iuret falsum, & ad sit iusta causa petendi iuramentum: vt necessitas, vt utilitas; quia non teneor abstinere à petendo actum cum graui damno, quàm quis bene & male præstare potest: quamuis ex sua malitia sit iniquè præstaturus. Sic Suar. de Rel. r. 2. l. 3. c. 15. n. 10. Suar.

34. Licetum ne ex iusta causa iuranti vti amphibologia, seu equiuocatione, proferendo scilicet iuramentum, quod à circumstantibus in sensu communi accipiatur, quo autem proferens aliud subintelligat? Affirmat Sanch. sum. tom. 1. lib. 3. c. 6. n. 15. Sanch.

Exemplis practicis confirmo. A iudice interrogatus cum iuramento, an Franciscum interfeceris? Si illum in propriam defensionem interfecisti, negare potes; subintelligendo de homicidio criminoso. Lessius lib. 2. dub. 9. n. 47. Si est probabilis opinio, quod taxa alicuius rei sit iniusta, & propterea venditor falsis ponderibus, vel aliàs iniustitiam sibi compensat: à iudice postea interrogatus, potest id totum iureiurando negare: subintelligendo, se iniuste non egisse. Sanch. sum. tom. 1. lib. 3. cap. 6. n. 29. Sanch. Sacerdos interrogatus de peccato in confessione audito, potest respondere etiam (si opus est) addito iuramento se nihil tale in confessione audisse, subintelligendo, tanquam priuatum hominem. Aliqua tibi necessaria bona abscondis, ne à creditore capiantur, & cogaris mendicare: potes interrogatus à iudice iurare, te nulla abscondita habere, subintelligendo, quæ tenearis manifestare. Potest quis iurare latroni, daturum se pecunias absque intentione dandi, hac retentione mentali vtendo: Dabo, si tenear. Adultera rogata à marito, an admiserit adulterium: potest negatiuè iurare; concipiendo mente aliud, diem ab eo, quo illud admisit. Veniens è loco, qui falsò creditur peste infectus:

- Sanch. rogatus potest iurare, se inde non venire; subintelligendo tanquam è loco pestilenti. Omnia ex Sanchez, & alijs.
35. Num iurare verbis æquiuocis sine iusta causa, v. gr. quod Princeps sit in aula, intelligendo pictum, lethale peccatum? Affirmat Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 9. num. 46. Probabilis Sanchez sum. tom. 1. lib. 3. cap. 6. num. 22. negat; quia huic iuramento deest solum iudicium, seu discretio, modo id non fiat in fraudem tertij: aut in iudicio, dum Iudex iuridice interrogat. At iuramentum, cui deficit sola discretio, solum est veniale.
- Turr. 36. *Quæserim, an iuramenta falsa inaduertenter prolata ex praua consuetudine sint peccata mortalia?* Afferuit Torres 2. 2. quæst. 98. art. 3. d. 3. quia sunt voluntaria in causa ob prauam consuetudinem non correctam, Probabiliter alij negant; quia vbi quis per propositum non iurandi falsum, prauam consuetudinem retractauit: falsa ea iuramenta non sunt amplius voluntaria nec in se, nec in causa.
- Less. 37. *Fictæ promissioni iuramentum adieci: teneor ne adimplere?* Afferit Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 8. num. 38. quia hoc est de natura iuramenti promissoriij, & iurans tenetur efficere, vt iuramentum sit verum, si potest, ne adduxerit Deum in testem falsi. At alij negant; quia iuramentum naturam sequitur promissionis, cui adnectitur.
38. *Metu aut dolo addicitur iuramentum contractui inuálido, & à iure probato, v. g. iurat quis latroni minitanti dare aureorum quantitatem: obligat ne in conscientia iuramentum?* obligare existimat Becanus 2. 2. q. 89. quia nec iure naturæ nec humano irritum est. Addit huiusmodi iuramenta relaxari posse ab Episcopo, & per Bullam commutari. At Azorius tom. 1. lib. 12. c. 7. q. 2. contrarium asseruit.
39. *Iuramenta seruandi statuta civitatum, Collegiorum &c. obligant ne sub graui piaculo?* Si sunt in vsu obligant planè: si recepta vsu non sunt, aut per vsu contrarium abrogata, non obligant, quia iurante intelligunt statuta seruare more recepto. At tunc materia iuramenti violati erit mortale periurium quando tanti momenti est, vt secluso iuramento statutum ratione materiæ ad mortale obligaret. Sanchez sum. tom. 1. lib. 3. c. 14. n. 10. Qui admonet iuramenti obligationem cessare, si statutum esset ab habente potestatem reuocatum.
40. *Possim ne dum in graui materia iuro, me ad solam venialem culpam obligare?* Minimè; quia non possum limitare obligationem, cum Deum in testimonium rei adduco promissa. Suarez 3. p. tom. 4. d. 38. sect. 7. n. 5.
- Suar.

Examen III. De iuramento circa Mand. 75

41. Promisi aliquid addito iuramento. v.g. centum argenteos me pauperibus erogaturum : teneor ne prestare promissum cum intentione satisfaciendi pro iuramento? Non, quia absque huiusmodi intentione iam praestatur, quod gerere iuravi. Sanch. sum. tom. 1. lib. 1. c. 13. n. 18. Addit Lessius lib. 1. c. 37. dub. 10. n. 59. iuramentum impleri etiam si res iurata praestetur cum animo expresso non satisfaciendi iuramento. Scio Suarium de Rel. tom. 2. lib. 4. c. 26. n. 8. contrarium tradidisse.

Sanch.
Less.

Suar.

42. Propositum non ludendi iuramento confirmari; valet ne, etiam si iurans haberem intentionem abstinendi à ludo modico, quantitatis, qui secluso voto esset actus virtutis? Obligare aasserit Sanchez sum. tom. 1. lib. 3. c. 18. n. 2. & 3. Admittit tamen materia paruitatem.

Sanch.

43. Iurat quis non bibiturum vinum, quondam peccati grauis reus erit? Materia grauis culpae erit tantum vini, quantum pro vno potatu moderatè bibente sufficeret. Sanch. sum. tom. 1. lib. 4. c. 12. num. 21. At qui minus vini hauriret, leuiter peccaret.

44. Igitur dari in iuramento promissorio materia paruitatem existimas? Datur planè ex multorum Doctorum sententia; quia si datur in violatione voti, cur non dabitur in violatione iuramenti, cuius minor obligatio. D. Thoma 2. 2. q. 89. art. 8. auctore? Igitur iurans, per annum quotidie semel Ave Maria recitare, non peccat mortaliter, etiam si per totum annum omittat. Cur datur in promissorio materia leuitas, & non in aasseritorio? Quia quamuis res iurata sit parua, non tamen parua iniuria Numinis, in testem falsitatis adducti. Scio Lessium lib. 2. c. 42. dub. 5. n. 23. contrariae sententiae quoad promissarij leuitatem hærescere.

Lessius.

45. Rogo, an omnes blasphemiae sint eiusdem speciei? Negat Petrus Hurtado 2. 2. d. 91. sect. 12. §. 54. probans blasphemias haereticas specie differre ab imprecatiuis, & in confessione distinctè explicandas; quia diuersum conuitium est assertio rei turpis, ac imprecatio. Addit etiam specie differre blasphemias in Deum, & in Sanctos; quia per blasphemias in Deum violatur Religio; per blasphemias in Sanctos, Dulia; à qua quia Perdulia, aut differt specie, aut est valde maior intra eandem speciem, blasphemia in Deiparam seorsum in confessione explicandas.

§. 2.
De Blasphemia.

46. An blasphemia, amasiam Deam vocitare suam, aut suum idolum? Non; quia hæc verba non accipiuntur in sensu proprio, sed hyperbolico. Hurt. de Mend. 2. 2. d. 91. sect. 4. §. 16.

Hurtado

47. Quodnam peccatum blasphemia? Ex genere suo mortale

rale est. *In blasphemis in Deum datur ne paruitas materiæ? Nō, quia quævis virtuti Religionis notabiliter aduersatur. Quid de blasphemis in Sanctos? Paruitatem materiæ multi Doctores admittunt, si verba attingant Sanctos non vt Sancti sunt, sed ex alio respectu. At alij probabilius non subscribunt; quia in rebus tanti momenti locus est illicitus. Scio aliquem vniuersaliter docere in blasphemis paruitatem materiæ dari; quia non est maior ratio, cur in aliis peccatis detur. Vnde asserit solum esse veniale, verba sacræ Scripturæ absque debita reuerentia rebus ridiculis adaptare. Non probo. Ex Sanchez & alijs.*

Sanch.

48. *Num ex defectu deliberationis possit esse in Deum blasphemia venialis etiam in iis, qui ex consuetudine blasphemis vtuntur? Ita planè; quia vbi pœnitens prauam consuetudinè per pœnitentiam retractauit, si deinde inaduertenter incidat in blasphemiam, non ei ad peccatum imputabitur; quia non est voluntarium in se, nec in causa; vt de iuramento exposuimus. Layman. lib. I. tract. I. c. 3. n. 6.*

De iuramento varia.

49. *Quotuplex in promissorio iuramento obligatio? Directè obligat Deo, nisi cum humana promissione iungatur; tunc enim ad vtrumque obligatio nascitur, Deo scilicet & homini ex promissione simplici, quæ quidem per iuramentum augeatur non modò extensiuè, sed etiam intensiuè: non tamen ita diuersæ speciei obligatio consurgat. Ex Filliucio accipi.*

Filliuc.

50. *Præstari ne iuramentum potest per procuratorem? Ex rei natura posse affirmat Filliucius, quamuis humano iure personaliter debet emitti.*

Filliuc.

51. *Potest ne communitas iuramento obligari? Maximè, ad quod singuli requiruntur de communitate, vel saltem pars maior. Ex eodem.*

Filliuc.

52. *Transit ne iuramentum ad iurantis successores? Minimè (ait Filliucius) vinculum enim personale est. At ad successores eius, cui iuratur, utique transit.*

Filliuc.

53. *Quidam de iuramenti interpretatione? Ex duobus maximè principiis pendere asserit idem Doctor. Primum est, iudicandum esse iuxta naturam actus, cui adiungitur. Alterum strictè interpretandum esse, quoad materiæ, & verba permiserint. In dubio de iuramento præstato, nec ne? Haud obligare docet Filliucius, idem, si dubium sit de verborum significatione. Dubius autem de intentione? Obligatur, si certus est de iuramento: vt etiam dubius de impletione, certus de facto, ad implendum tenetur. Si dubium, an de re licita factum sit?*

Filliuc.

Tunc implendum in eo, quod de re licita possit esse: vbi autem

tem

tem dubia materia iuramenti esset, non obligaret. Idem, Patar.

54. *Transfertur ne iuramentum ad materiam commutatam?* Non transferri probabile *Fillicius* reputat, attamen transferri *Fillicius* asserit probabilius.

55. *Iuramentum de seruandis statutis ciuitatis, &c. extenditur ne ad statuta, qua in desuetudinem abiire?* Minimè; cum enim per contrariam consuetudinem sint abrogata, illa non obseruantes periuri non sunt. *Sanchez* ita.

56. *Iuramentum promissorium de faciendo peccato veniali quodnam peccatum est?* Veniale tantum esse *Sanchez* idem *Sanchez* affirmat.

57. *Num liceat per falsos Deos ad iurandum inducere?* Determinatè inducere mortale crimen est; petere verò iuramentum ab eo, qui per Deos falsos est iuraturus, per se malum non est, si debito modo fiat. Sic *Fillicius*.

58. *Indica periuri pœnas.* Nec censuram, nec inhabilitatem vllam incurrit: aliquando ciuilis incurritur infamia: Canonica verò tantum, cum publicum præstatur cum malitia periurij. Insuper illa etiam pœna periurus plecti solet, vt in testem non admittatur. Porro blasphemia notoria iure communi non est Episcopo referuata, nec ad publicè blasphemantem arguendum correctionis præceptum obligat, nisi spes emendationis effulgeat. Ex *Fillicio* carptim.

59. *Num permissum omnibus iudicialiter iurare?* Non, quia masculis ante decimum quartum annum, & puellis ante duodecimum, iuramentum solemne in iudicio in causis ciuilibus interdicitur.

60. *An ratione circumstantiarum periurium possit esse veniale, scilicet ratione leuitatis materia, vel coactionis, vel ignorantia, vel inaduertentia, vel ioci, seu intentionis non iurandi?* Prædictis addiderim ex *Busæo*, Periurium in iuramento assertorio etiam in materia leui, semper mortale est: in promissorio veniale. Periuria coacta venialia sunt secundum *Panormit.* Sed assero mortalia esse cum *D. Thoma*; quia coactio periurium non efficit inuoluntarium. Ignorantia si crassa sit, vel affectata, à mortali non excusat; si verò sit inuincibilis & improbabilis, excusat à mortali, inò à veniali, si debita diligentia sit adhibita. Addo tamen peccare mortaliter eum, qui de re de qua dubitet, iurat sicut de certa. Inaduertentia excusat à mortali, quando lingua mentem præcurrit. Locus denique à mortali non excusat.




EXAMEN IV.

De Legibus in particulari circa materiam
de Voto.

CAPVT PRIMVM.

De Voti essentia.

1.  *Vid est Votum?* Voluntaria & deliberata promissio facta Deo de aliquo bono meliori. Hinc fit primò propositum deliberatum requiri faciendi aliquid in cultum Dei, animùmque se obligandi.

Liber deinde debet esse actus hic supererogationis cum sit; ex metu tamen orto ex causis naturalibus, vt ægritudine, tempestate, &c. valet: ea itaque deliberatio requiritur, quæ ad mortale peccatum satis esset, vnde si passio tanta sit, vt non adsit aduertentia, erit actio indeliberata, & votum nullum; secus si aduertentia non desit. Tertiò, soli Deo colligo esse faciendum votum propriè loquendo; si autem fiat Sanctis vna promissione ad ipsos immediatè ordinata, non est votum. Denique debet esse de bono meliori, de quo infra.

2. *Si substantiales conditiones voti ignorentur, eritne validum?* Non, secus si tantùm accidentales: eodè modo si conditio ignorata pertinet ad causam finalem voti, votum irritum erit; secus si tantum ad motiuum; non refert autem, an ignorantia inuincibilis sit, vel vincibilis, nisi affectata esset.

3. *Num opus ex voto melius, quàm sine illo?* Ita planè, & cæteris paribus magis etiam meritorium.

4. *Quotuplex votum?* Multiplex. *Personale*, id est promissio facta à vouente alicuius functionis personalis præstandæ. *Reale*, id est, promissio facta alicuius rei dandæ vt elemosinæ, &c. *Mixtum*, quod participat de vtroque, v. gr. vouere contra hostes fidei se pugnaturum. *Absolutum*, quod absolute emittitur. *Conditionale*, quod adhibita conditione. *Simplex*, quod consistit in nuda promissione. *Solemne*, quod sistit in actuali quadam dedicatione, & traditione proprii corporis, & libertatis acceptata ab eo qui vices Dei gerit, cum quadam solemnitate, qualitate, ac circumstantiis approbatis ab Ecclesia. Præterea votum diuiditur in purum, & pœnale,

nale, in internum & externum, in expressum, & tacitum; in occultum & publicum, de quibus omnibus patebit essentia.

CAPVT II.

De Voti materia, & diuisionibus eius materialibus.

5. **Q**uidnam voti materia? Totum id quod in Dei cultum potest promitti. Duplex est, vna proxima, humana scilicet actio, qua promittitur; & remota, vt in castitatis voto est humanum corpus. Debet esse de re possibili, & non de necessaria; quando autem esset de impossibili, non obligaret ad possibilem in illa inclusam. *Quid si materia promissa esset multorum actuum collectio?* Obligaret ad eos, qui possibilem sunt, nisi de vouentis contraria intentione constet.

S. I.
Materia
voti.

6. *Num votum de non peccando mortaliter, vel venialiter ex plena aduertentia, validum?* De mortali vtrumque validum est, de veniali autem ex plena aduertentia etiam validum, secus de non peccando simpliciter.

7. *Actio mala est ne voti materia?* Minimè, imò nec indifferens; debet enim esse de bono meliori, quàm sit eius oppositum. v. gr. ieiunium est melius, quàm non ieiunare; vnde colligo votum contra prius votum, aut iuramentum, aut promissionem non valere. Valet autem actio bona sub turpi conditione, v. gr. voueo eleemosynam: si furabor; quia post patratum furtum, melius quidem eleemosynam dare, quàm oppositum. Item bonus effectus ex turpi actu est voti materia, v. gr. Voueo eleemosynam, si filius ex concubina nascatur. Similiter si fiat in gratiarum actionem pro actu turpi, v. gr. Voueo calicem, si bello iniusto sit parva victoria. *Quid si fiat ob turpis actus impetrationem?* Non valet; vt Voueo eleemosynam ad vindictam obtinendam.

8. *Num res precepta possit esse materia voti?* Potest; quia de meliori bono actu illo rem illam Deo dicaui; vnde actus omnis virtutis voti est apta materia.

9. *Num Matrimonium?* Coniugij votum per se non valet, quia contra melius castitatis bonum; nisi vel ob commune bonum precepto teneatur; vel ratione periculi intemperan-

tia;

tia, vel pietatis intuitu (vt si cum foemina paupere eo prætectu contrahas) cohonestetur.

10. *Obligat ne votum ex re bonum & malum includente?* Obligat planè ad id, quod bonum est, relicto malo.

11. *Sunt ne materia apta omissiones actionum, quae sunt in præcepto, vel consilio?* Minimè, v. gr. votum non dandi eleemosynam, vel non ingrediendi Religionem: at earum, quae neque sunt in præcepto, neque in consilio, vt non nubendi, non ludendi, valent.

§. 2.
Diuisio
voti.

12. *Sunt ne ex parte materia voti diuisiones peculiare?* Sunt equidem, diuiditur enim in reale, & personale: affirmatiuum, & negatiuum: perpetuum, & temporale; referuatum, & non referuatum.

CAPVT III.

De obligatione Voti.

13. *Quanam voti obligatio?* Oritur quidem ex voto obligatio fidelitatis, & iustitiæ, interueniente acceptatione Dei. Et ex suo genere grauis, & maior quam præcepti eadem de re, nisi præceptum ad superiorem virtutem pertineat, vt fidem, spem, charitatem.

14. *Quam grauis huiusmodi obligatio?* In graui materia ad mortale obligat, nisi vouentis intentio ad venialem tantum culpam se adstringat; in leui autem materia non obligat ad mortale, nisi ea ad grauem finem referatur: nec potest fieri votum ad solam obligans sine culpa pœnam.

15. *De Voto dubius sum: quidnam à me præstandum?* Si dubium sit, num factum Votum, ante diligentiam adhibitam teneris ad illud seruandum: post eam adhuc dubius liber es à promissione. Si tibi constat de facto voto, dubitas autem, num de licita materia sit, seruare teneris. Si dubitetur, an intentio adfuerit, attendenda verba, & si promissionem significant, illi standum: si tantum propositum, tenendum contra votum. *In dubio de usu rationis?* Censendum pro libertate, vt etiam in pubertatis dubio. *Quonammodo igitur interpretatio facienda?* Si circumstantiæ omnes determinatè intentæ fuerint, ad omnes votum obligat: si seruari aliqua non potest, seruandum quò ad alias; modò illa principalis non esset, traheret enim omnes ad se; si circumstantiæ non determinentur intentione, iuxta materiæ exigentiam obligabit; denique

Examen IV. De Voto circa Mandat. 82

hique si ex his nil constet, expendenda sunt verba, & in dubio pro vouentis libertate erit interpretatio facienda.

16. *Ad singulas voti circumstantias descendendo, quonam modo obligent: Circumstantia, Quis?* Solus vouens obligatur. Communitas si voueat, ij soli ex ea obligantur, qui personaliter vouerunt, reliqui autem tantum ex præcepto. Et quamuis votum per alium fieri possit: at quoad internum consensum non nisi per se ipsum.

17. *Circumstantia, cui;* Soli Deo quis obligatur proprie loquendo: ratione tamen materiae etiam ad aliam obligationem potest inducere.

18. *Circumstantia, per quem quonam modo ligat?* Si votum personale sit, non impletur per alium: si reale debet impleri de suo, vt eleemosyna de propriis, sed per alium, v. gr. seruum potest impleri: si mixtum cessante obligatione personali, cessat etiam realis, vt in peregrinatione sumptus itineris. Hæres certè non tenetur ad vota personalia defuncti.

19. *Dic de circumstantia, Quid.* Si neque ex verbis, neque intentione vouentis determinari possit, ad quid obliget votum, datur optio vouenti, vt ea eligat, de quibus æqua est incertitudo; vnde etiam mitiorem partem eligere poterit.

20. *De Qualitate, quidnam?* Circumstantia *Qualitas*, nisi determinata sit ex verbi, aut materia, arbitrio vouentis relinquatur, modò bona fide procedatur. Idem de circumstantia *Quantitas* dicendum est.

21. *Cadit ne finis voti sub votum?* Minimè, neque sub obligationem, nisi vouens illum formaliter intendat.

22. *Cadit ne modus?* Nequaquam, nisi vel ad actus substantiam pertineat, vel directè promissus sit.

23. *Quid de loco?* Arbitrio vouentis relinquatur, nisi exprimat.

24. *Denique quid sentis de tempore?* Votum negatiuum statim obligat, & pro semper, nisi à vouente limiteur: affirmatiuum autem pro tempore, si sit, determinando ex verbis, vel intentione, vel vouentis prudenti arbitrio.

25. *Quantum durat Voti obligatio?* Cum actio tanquam onus dici vouetur, die transacto votum eius non manet: secus si tanquam terminus dilationis, eo enim elapso vrget obligatio. Certè in votis realibus terminus ad dilationem, solet apponi, vt in voto eleemosynæ, ideoque statim post terminum, soluendum erit. *Qui prauidet se præfixo*

F tempore

tempore ieiunia voto imposta non impleturum? Tenetur præuenire; terminus enim est tantum ad differendam obligationem, secus quando tanquam onus dici præfixa essent. Si tempore præfixo non impleatur, est ne compensatio facienda? Haud necessariò facienda est, siue intercedat culpa, siue non.

26. *Quando autem Voti obligatio cessat? Finali causa cessante votum cessat; secus si motiua tantum fuisset. Mutatio in circumstantiis tanta si esset, vt ab initio si fuisset, impediuisset votum; etiam impedit factum. In ordine autem ad voluntatem, manente re ad obseruandum possibili, remanet etiam regulariter obligatio, nisi obseruationem mutatio reddat inhumanam, vel nimis duram: tunc enim vel tolleretur, vel suspenderetur.*

27. *In casu necessitatis, articuli mortis, iactura in fama, honore, salute corporis, & similibus cessat ne obligatio? Maxime, nisi cum speciali reflexione votum fiat circa tale periculum.*

28. *Quid de conditionalis Voti obligatione? Ante conditionem impleram conditionalis non obligat: & si quidem penale sit, impediri semper conditio potest; v.g. si iulero, dabo centum. Si ab alterius arbitrio pendeat, non debet eius consensum fraude, vel vi impedire, precibus tamen posset. Si à naturalibus causis pendeat, bona fide procedat vouens, & satis erit. Denique si conditio absque vouentis culpa non impleatur, nulla oritur obligatio; si eius culpa, adhuc inter Doctores diffidium est.*

C A P V T I V.

Quisnam possit vouere?

29. **P**otest ne omnis rationalis creatura votum emittere? Potest Angelus, potest & homo. Ille potuit quidem dum viator fuit. Ex hominibus autem qui rationis vsu caret, capax voti non est, cæteri, si viatores, possunt vouere.

30. *Potest ne quis reddi inhabilis ab Ecclesia ad vouendum? Potest, imò de facto redditus est qui metum grauem patitur, & annos pubertatis non excedit inhabilis ad solemne, imò & qui decimum sextum annum non compleuit, ad simplicia etiam reddi posset, sed de facto nullus est redditus. Nam persona specialiter subiecta, vt Religiosi prohibiti sunt*

vouere? Minimè, ideo valent eorum vota quandiu per superiorem non tolluntur; nec de materia prohibita fuerint. Possunt quidem illi in materia præceptorum, vt recitandi Horas Canonicas, ieiunandi, &c. personalia vota emittere, eodemque modo de iis, quæ per regulam præcipiuntur. De actionibus nec præceptis, nec prohibitis, sed de consilio, idè dicendum. De prohibitis fieri sine licentia, vota validè sunt; sed non obligant, ad executionem, nisi superior dederit facultatem. Secus de iis, quæ simpliter prohibita sunt fieri; illa enim inuvalida sunt. Actio supra regulam, vt transeundi ad arctiorem, capax est validi voti, & obligat independentè Prælati consensu.

31. Num uxoris valida vota? Ita planè; quia vxor subditur viro in iis, quæ ad coniugij vsum pertinent, & familiæ gubernationem, non in iis, quæ ad animi salutem spectant. Quod si debitum coniugij obsequium impediunt, valida non sunt, nisi de viri consensu. Idem assero de viro vicissim, quò ad vota ad coniugalem vsum spectantia.

32. Quid de filiis familias? Validè vouent de honestis actionibus, quæ tamen debitam parentibus subiectionem non impediunt. Id quod de seruis asserendum circa actiones, quæ sui iuris sunt, vt orare, ieiunare: in aliis, in quibus pendet à dominis, ipsorum consensus exigitur. Profectò in præfatis personis realia vota valida non erunt absque dominio pecuniæ, & liberæ eius administrationis, Vnde Religiosi eiusmodi vota facere non valent, neque de communibus bonis vxores, aut dotalibus sine consensu viri; nec filij familias de bonis paternis, sine consensu patris; nec serui de bonis domini, eo non annuente.

C A P V T V.

De delictis Voto contrariis.

33. **Q**uonam modo in emittendis votis potest delinqui? Primò, si temerè, quod ordinariè culpam venialem non excusat. Secundò, si fiat fide, animo scilicet se non obligandi, id quod veniale peccatum tantum est. Tertiò, si factum sit animo illud non seruandi, & id ex genere suo est mortiferum. Quartò, si fiat ob malum finem grauiter, lethale est, leuiter verò, veniale. Quintò, si fiat de materia incapaci, peccatum est: de actu quidem moraliter malo, malum etiam

84 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*
est tale, qualis est actus: de re indifferenti vel citra consilium
veniale tantum est.

34. *Quale crimen est voti fractio?* Intrinsecè mala est, &
quædam infidelitas, siue commissionis peccatum sit, siue
omissionis: vna specie transgressio est, etiam si materia diuer-
sa specie sit. Si materia præcepta sit, vt castitatis, duplex erit
in fractione malitia. Ex suo genere voti violatio grauis est
leuis ex leui materia, siue hæc totalis sit, siue partialis. Ex
partialibus omissionibus grauis materia potest integrari: se-
cus si diebus singulis obligatio extinguitur. *Est ne peccatum*
de voto pœnitere? Et quidem mortale si efficaciter pœni-
teat; si ineffaciter veniale tantum.

CAPVT VI.

De Voti Irritatione, Dispensatione, & Commutatione.

§. I.
Irritatio
voti.

35. *Quidnam & quotuplex Irritatio?* Est ablatio voti
per actum liberum eius, à quo pendet. Duplex est,
& ex parte materia, quæ sit in alterius potestate; & ex per-
sona, quæ sit alteri subiecta, vt impubes patri, religiosus
Prælato.

36. *Num ex parte materia vota possint irritari & ex par-
te persona?* Verum ex parte materia omnia vota possunt irri-
tari fidelium, excepto Papa: non ex parte personæ.

37. *Quisnam huiusmodi ex parte materia vota valet irri-
tare?* Papa omnia vota fidelium, Episcopus suorum subdito-
rum, domini realia seruorum vota, non personalia, nisi sint
in ipsorum præiudicium. Pater vota puberis ex parte ma-
teria, impuberis autem omnia potest, etiam si quando irritat,
pubes sit, semel autem irritata non reuiuiscunt. Coniuges,
directè non irritant, sed ex materia, ea, quæ coniugij vsui
præiudicare queunt, vel gubernationi in vxoribus: quod
etiam extenditur ad vota ante matrimonium emissa. Prælati
tam indirectè quàm directè subditorum Regularium vota
irritare possunt, excepto voto ad arctiorem Religionem
transcundi. *Si superior confirmarit emissum à subdito votum?*
Inferior Prælatus non irritat: à se tamen confirmatum idem
irritare potest.

38. *Causa ad irritationem voti requiritur?* Non quidem
ad valorem, sed ad iustitiam requiritur causa.

39. *Alius*

Examen IV. De Voto circa Mandat. 85

39. *Alius modus soluendi vota est dispensatio: quidnam hæc?*
Relatio quædam iuris est ab habente legitimam potestatem. In Papa ordinaria potestas dispensandi est respectu omnium, Episcopi etiam eandem habent respectu subditorum, si reser- uata excipias. Quilibet autem in particulari à suo superiori dispensatur, Papa verò vel à se ipso, vel à suo Confessario, cui hanc potestatem ille commiserit. Delegari etiam hæc facul- tas potest habilibus personis, quales Clerici sunt.

40. *Qui possunt in votis dispensare, si ea iurata sunt, di-
spensant?* Probabile, quod dispensare possunt: probabilius cum Filliucio affirmo, quod non possunt in votis iuratis di-
spensare.

41. *Extenditur ne hæc potestas ad vota in incommodum ter-
tij?* Ita quidem, modò acceptata non sint: tunc enim etiam tertij consensus requiretur.

42. *Causa ne ad dispensandum requiritur?* Maximè. Illas præcipuè causas assigno, indiscretum vouendi modum; ma-
teriam, quæ ruinæ sit spiritualis occasio; personæ conditio-
nem, vt si maius spirituale bonum vouentis impediatur; muta-
tionem materiæ, quoad difficultatis, vel incommoditatis ma-
gnitudinem; necessitatem vel vtilitatem ad publicum perti-
nentem bonum; denique si consideratis omnibus, ita prudens
arbitretur.

43. *Quenam sunt Papa vota reseruata?* Quinque tantum, Religionis, Castitatis, Ierosolymitanum, Romanum & Com-
postellanum votum. Hinc assero neque Clericatus in factis,
nec Paupertatis, aut Obedientiæ extra Religionem, nec tem-
poralis castitatis vota reseruata esse: nec ex intentione vouen-
tis fieri reseruata. Quæ autem reseruata assignauimus, haud com-
mutari possunt. Conditionalia, ante conditionem impletam,
reseruata non sunt: sunt autem post eam impletam. Pœnalia
item ante commissam culpam, reseruata non habentur: ea
admissa, censentur esse reseruata. Disiunctiua, re integra re-
seruata non sunt, nisi vtraque pars reseruata sit. *Potest ne Epi-
scopus in reseruata vota?* Potest quidem vel ex delegatione,
vel in dubio de valore reseruati, siue dubium sit iuris, siue
facti. Dispensat etiam in graui periculo transgressionis, cum
alioqui magna difficultas sit ad Papam recurrenti. *Requiri-
tur ne intentio in dispensante?* Ita quidem, eaque sufficientibus
signis expressa.

S. 3. 3

44. *Vltimus modus tollendi vota est commutatio: quidnam Commu-
tatio?* Substitutio quædam est operis alterius loco promissi
per votum, eodem vinculo manente. Triplex quidem, in
voti.

F 3 melius,

melius, in æquale, & in minus. Est & commutatio quædam, quæ Redemptio appellatur; est illa substitutio pecuniæ, vel rei pecunia æstimabilis loco rei voto promissæ.

45. *Quidnam requiritur ad commutationem?* Si fiat in æquale, requiritur potestas, non si fiat in melius euidenter; in minus autem commutatio non fit, sed dispensatio.

46. *Num causa requiritur ad commutationem?* Tantum cum fit in æquale, nam in melius absque causa fieri potest.

47. *Quoniammodo vota commutantur?* Reale commutari potest in personale, cum præsertim ex paupertate causa oritur commutandi. Personale redimi potest, si facultas sit, in minus, in alia opera commutari. Mixtum, vt peregrinatio, in alia similiter opera pietatis.

48. *Cum commutatio facta est, fitne reditus ad prius votum?* Minimè, si in melius commutatio facta, secus si in æquale, aut in minus.

49. *Facta commutatione extinguitur ne votum?* Ita planè, si ritè facta sit, nec reuiuiscit commutati obligatio voti; etiam si per impotentiam melius opus, in quod commutatum est, fieri non possit. Probabilius quidem censeo, commutato referuato, non manere referuatum id, in quod commutatum est. In pœnalibus pœna incurta etiam commutari potest.

50. *Quæsiam commutans vota qualitatibus præditus esse debet? Quæ requiruntur in rescripto, scilicet, vt sit Confessor, Doctor decretorum, aut Magister in Theologia, & approbatus. Plura inferiùs.*

C A P V T VII.

*Praxis circa tradita in materia de voto ex
Societatis IESV schola.*

§. I. *De essentiâ voti.* 51. **D**ixisti, *votum esse voluntariam promissionem. Requiri, an vota ab infantibus emissa valida sint?* Minimè, quia carent discursu necessario ad voluntariam promissionem. Dubium est de deliberatione perfecta propter aliquam ex morbo animi perturbationem: obligat ne votum? docet *Suar. de Regul. tom. 2. lib. 4. cap. 6. num. 10.* obligare; quia raro contingit in his casibus, deliberationem esse imperfectam.

52. *Dabito, an votum emiserim: teneor ne?* Afferuit *Vasquez*

quez 1. 2. quest. 19. art. 6. d. 65. cap. 3. si voti impletio non fit Vafq. multum incommoda ; quia in dubiis tutior pars eligi debet. Probabiliter contrarium asseritur ; quia in dubiis possessio stat pro libertate. At si quis certus se voluisse , dubitat verò , an habuerit animum se obligandi ; possessionem stare pro voto , reor ; quia possessio libertatis , præponderat maiori etiam probabilitati contrariæ partis. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 36. & Palau tom. 3. d. 3. p. 9. n. 2. Itaque etiam si dubium non sit æquale , sed magis propendeam in partem affirmatiuam, scilicet votum fuisse emissum ; adhuc standum pro libertate.

Sanch.
Palao.

53. Voueo absolutè Religionem : teneor illam inire , & si in anno probationis omnia sint grata , profiteri. Rogo quanam sit causa legitima egradiendi ante professionem ? Displacencia Religionis cum passione, anxietate , & tristitia animi siue ex naturali causa , siue ex dæmonis tentatione proueniat , quæ duret pro mense, & expelli non possit. Sanchez sum. tom. 1. lib. 1. ca. 16. n. 100. Addit si sit valde magna , etiam in primo ingressu excusaret.

Sanch.

54. Quis bona fide ingressus sua postea culpa expellitur : remanet ne voto ligatus ? Ita , quia votum includit conditionem , si detineatur ; vnde ille , cuius culpa conditio non impletur , tenetur voto , ac si impleta fuisset. Toletus lib. 4. ca. 17. Tolet. num. 12. Porro Azorius part. 1. lib. 11. cap. 12. quest. 9. contrarium Azor. asseruit , cui hærescerem in casu , quo quis mediocri adhibita diligentia ad corrigendum se , ex infirmitate tamen praua indole , aut habitibus in culpas est lapsus.

55. Determinatam voueo Religionem D. Francisci , aut Dominici , ingressum tento , repulsam habeo absolutam : cessat planè obligatio. Rogo tamen , si à superioribus postea inuitor , teneor ne ingredi si Prælati repulisset ob fallam informationem , cognita autem veritate , vellet admittere : teneris. Alias minimè ; quia votum emissum hac conditione ; si facta petitione acceptaris. Vnde si non admitteris , obligatio extinguitur. Lessius lib. 2. c. 41. Less. dub. 5. n. 44.

56. Non solum voui Religionem , sed & profiteri. Teneris ad professionis emissionem ; quia vtrumque promisti , & ingredi , & profiteri. Sic Sanchez sum. tom. 1. lib. 4. cap. 26. num. 21. Sanch. At Reginaldus tom. 2. lib. 1. cap. 25. num. 383. probabiliter Reginaldus docet , votum intelligendum secundum canones annum probationis concedentis. Quid si dubitem , an profiteri ? Non teneris in Religione perseverare ; quia votum in dubio obligat ad id , quod minus est : dum possessio non stat pro

verbis voti, quorum vouens non recordatur. Sanchez ubi sup. cap. 13. num. 17.

Sanch. 57. Voui Religionem in communi, non Specificans hanc, vel
Azor. illam: vel dubito quânam Specificauerim: ad quânam teneor?
Satisfacis ingrediendo laxiorem. Sic Sanch, cit. c. 13. n. 17. contra
Azor. tom. I. l. II. c. I. 4. 7. uel. 9.

Sanch. 58. Vouit quis castitatem, dubitat tamen an promiserit omnimo-
dam, an tantum conjugalem: perpetuam, an ad tempus. Ad tempo-
raneam, & conjugalem solummodo tenetur. Sanch, summ. tom. I.
l. 4. c. 13. n. 16. & 17.

Suar. 59. Voui Rosarium recitare, dubito an promiserim totum, an par-
tem. Obligaris ad tertiam partem, quæ etiam Rosarium appella-
tur. Suarez de Rel. tom. 2. l. 4. c. 8. n. 5.

Sanch. 60. Promisi ieiunare die Sabbati, aut Veneris in eo legitime im-
pediti, non teneor. Rogo an teneor altera die ieiunare ad satisfac-
tionem? Si promissio alligata fuit diei illi ob speciale mo-
tuum, non teneris; secus si promissisti principaliter ieiunium,
& secundario, in tali die. Dubito de hoc. Putat Sanchez summ.
tom. I. cap. 14. num. 31. teneri te. Attamen probabiliter cum Ca-
rietano alij existimant non teneri; quia possessio non stat ex
parte voti, quod non constat emissum cum dependentia ad tale
diem.

Sanch. 61. Voui, recitaturum me quotidie septies pœnitentiæ Psal-
mos; librum non habeo, vnum tantum memoriæ retineo: teneor
ne vnum illud septies repetere? Minimè, præcipuè si est de ma-
ioribus. Vnde assero ad nihil teneri, Sanchez summ. tom. I. lib. 1. c.
19. n. 3.

Suar. 62. Dixisti voti materiam futuram bonam, non malam, non
indifferentem: dubito an sit materia bona, an mala: num teneor?
Suar. Afferit Suarius de Rel. tom. 2. lib. 4. c. 6. n. 12. non posse vouentem
Sanch. contra id votum operari sine legitima dispensatione, aut de-
claratione Pontificis. Sed Sanchez sum. tom. I. lib. 4. c. 6. n. 12. exi-
stimat tale votum non obligare: & si circa hanc bonitatem, vel
malitiam sint opiniones probabiles, minus probabili posse ad-
hærere.

Suar. 63. Addidisti, futurum votum de meliori bono: an validum
votum de non acceptando Episcopatu, cum sit status perfectio-
nis? Validum planè; & sanctissimè emittitur à nostræ Socie-
tatis viris; quia Episcopatus in tantum est perfectionis sta-
tus, in quantum perfectionem in subiecto requirit; quam
perfectionem etiam qui haberet, de se non præsumere, ad
humilitatis heroicum gradum pertineret. Legendus Suarius
de Rel. tom. 2. lib. 2. de iuram. cap. 13. num. 13. Hinc colligit
Palau

Palao
Palaeus tom. 3. tract. 16. n. 2. votum Religionis non posse propria autoritate in Episcopatum commutari; quia Episcopatus ideo est perfectior Religione, quod maiorem perfectionem requirat, non quod ad illam magis conducat.

§. 2.

De voto
condi-
tionali,
& pœ-
nali.
Suar.

64. Dixisti votum absolutum statim obligare postis circumstantiis, pro quibus fit; conditionale autem non obligare, nisi conditio ponatur: Rogo, si talis conditio mea culpa non ponitur, obligat ne votum? Non, quia vouens censetur, se voluisse obligare, nisi posita tali conditione; quocumque ergo ex capite non ponatur, votum non obligabit. Vouet, v. gr. quis (cum Suario loquor de Rel. tom. 2. l. 4. c. 17. n. 21.) Religionem, si per annum à fornicatione absteat; non abstinens postea siue ex malitia, siue ex praua intentione, non tenebitur ad Religionem; quamuis fortasse contra votum delinquat. Vouet quis Religionem, si sanitatem recuperet infra mensem, postea ex intemperantia non obtinet: tenetur ne votum implere? Afferit Sanchez summ. tom. 1. l. 4. c. 23. n. 46. Sed ex Suarij citati doctrina non tenetur.

Sanch.

65. Constat votum pœnale tunc obligare ad pœnam, quando scienter, & culpabiliter violatur. Rogo autem, si voui non ludere sub pœna centum argenteorum, postea autem voti immemor, vel memor voti, sed immemor pœnae do operam ludo, teneor ne ad pœnam? Non teneris? quia naturalis obliuio ignorantia inuincibili æquiparatur. Sanchez, sum. tom. 1. c. 22. n. 18.

Sanch.

§. 19.

66. Vouens non ludere, toties violat votum, quoties ludit: rogo, an similiter vouens soluere viginti aureos, si ludat, teneatur soluere quoties ludit? Afferit Sanchez; quia pœna est accessoria actui. Dubius sum, an promiserim soluere pœnam, quoties votum soluerem. Existimat Layman lib. 4. tract. 4. cap. 5. num. 4. teneri soluere pro prima vice; quia in dubiis, benignior pars est amplectenda, Sanchez autem suam sententiam limitat, addens non habere locum in pœnis grauissimis, & quæ irritari non solent; vt si quis vouerit non ludere sub pœna peregrinationis Ierosolymæ, Religionis, aut exorbitantis elemosynæ.

Sanch.

Laym.

Sanch.

67. Obligat ne votum ad præstandum opus promissum cum intentione satisfaciendi voto? Afferuit Suarez de Rel. tom. 2. lib. 4. cap. 26. num. 8. si audias Missam cum intentione non satisfaciendi voto, ad quod teneris, sed audiendi postea aliam pro voto: tacite te prorogare votum, vel nouum votum facere: vnde teneris aliam Missam audire. At Sanchez lib. 1. cap. 13. num. 1. contrarium affirmavit; quia iam præstitisti,

§. 3.

Obliga-
tio voti.
Suar.

Sanch.

F § quod

quod voueras. Porro falsum puto, quod Suarius asseruit (tanti venia Doctoris) voluntatem satisfaciendi per aliam Missam, fuisse nouam Missæ promissionem.

68. Memini, me apud Caietanum legisse peccatum mortale esse totam materiam voti violare, siue magna, siue parua sit: **Henriq.** quidnam tenendum? Asseruit *Henriquez lib. 5. cap. num. 4.* in materia voti paruitatem materiam à peccato lethali excusare, siue totalis, siue partialis sit; quia si promissio rei leuis facta homini non obligat sub mortali, multo minus Deo facta, qui est mitior nostrarum promissionum actor. An non votum est quædam lex, quam sibi homo imponit? ergo non debet plusquam lex diuina, & Ecclesiastica obligare, in quibus materiam paruitas reperitur.

69. Possum ne me vouens, obligare sub mortali ad leuem materiam. v.g. ad Aue Maria recitationem? Asserit **Fagund.** *p. 2. lib. 9. cap. 3. num. 15.* quia intentio legislatoris, & vouentis sufficit ad obligationem mortalem. At **Sanch.** *lib. 1. .4.* negat; quia id non potest legislator in irrationabili materia, sed in rationabili, & proportionata. Sic intelligenda sententia illa *l. 1. ff. de const. Princ. Quod placuit Principi, legis habet vigorem.*

§. 4. 70. Dixisti vota relaxari per irrotationem, dispensationem, & commutationem, irritarique posse vota serui à Domino, uxoris à viro, filij impuberis à patre, pupilli à tutore, Religiosi à Prelato, & omnis inferioris à superiore absque causa necessaria: **De Voti Relaxatione per irritationem.** Rogo an Prelatus regularis possit irritari vota sui Religiosi, postquam ad Episcopatum, aut Cardinalatum assumptus fuerit? Minime, quia à potestate ipsius dominatiua iam est exemptus. **Pal.** *Palus 1. 3. tr. 15. d. 2. p. 3. §. 3. n. 3.*

71. Dubito, num vota emissa sint à subdito tempore subiectionis, aut libertatis: possunt ne irritari à superiore? Negat **Salas.** *1. 2. q. 21. tr. 8. d. vni. sect. 25. n. 261. & 262.* quia votum emissum esse certum est, vnde eius obligatio debet præponderare dubiæ superioris potestati.

72. Dubium est, an impuber votum post pubertatem confirmauerit: potest ne pater irritare. Respondet **Sanch.** *lib. 4. c. 32. num. 5.* posse siue dubium sit an confirmauerit: siue constet de hoc, & dubium sit, an confirmauerit ante, vel post pubertatem.

73. Potest ne vir irritare votum uxoris de inuendo Monasterio post obitum eiusdem viri, vel secundis nuptiis non inuendis? **Sanch. Præp.** Asserit *Sanch. cit. c. 34. & Præpositus in 3. p. q. 6. dub. 20. n. 54.* quia cum inuita, adhuc sub viri potestate est.

74. *Quis vouet ante Religionis, aut nuptiarum statum potest ne superior, aut maritus irritare votum ante subiectionem emissum?* Respondet Sanchez votum vxoris ante matrimonium emissum irritari non posse à viro, posse tamen suspendi. Porro Præpositus vbi suprâ memorans hanc Sanchez sententiam, asserit parum conformiter expressam; quia si vir per matrimonium fit superior vxoris, vt propter muliebrem leuitatem possit eius voluntatem dirigere: illius vota non solum suspendere, sed etiam irritare potest. Addit posse Prælatum vota sui Religiosi irritare emissâ ante professionem. Intellige, post professionem id posse; quia superior non habet potestatem dominatiuam in nouitios.

75. *Potest ne vir irritare votum vxoris de non petendo debitum?* Potest etiam si emissum sit de viri licentia; quia hic dum concedit facultatem vouendi, non adimit sibi facultatem irritandi. *Quid si vterque coniux continentiam voueat, & iuri debitum petendi renunciet?* Porro Sanchez primum casum approbans, abnegat secundum. Approbat Præpositus 3. p. 9. 6. Præp. dub. 20. Si sensus sit, non posse licite; minimè verò, si sensus sit, non posse validè.

76. *Dixisti dispensare, & commutare esse Episcopi respectu suorū subditorum, præter quinque vota, quæ sunt reseruata De Pontifici Castitatis perpetua, Religionis, & tria peregrinationis relaxatione per quoad hoc simplex confessarius per Bullam Cruciatæ: Rogo, an commutare in graui necessitate, si non pateat ad Pontificem aditus, possit dispensare Episcopus in voto absoluto castitatis, aut Religionis? aut dispensare Episcopus in voto absoluto castitatis, aut Religionis? aut dispensare Episcopus in voto absoluto castitatis, aut Religionis?* Potest, (authore Sanchez lib. 8. de Matr. d. 9. num. 22.) Potest dispensare Episcopus in voto absoluto castitatis, aut Religionis? aut dispensare Episcopus in voto absoluto castitatis, aut Religionis? Minimè; quia illis concessa est iurisdicção in ea vota, quæ ordinariæ Episcoporum potestati subiiciuntur: non quæ sola iuris interpretatione, & per accidens; nam hæc non sunt verè Episcopalia. Fagunde Fagunde in dec. tom. 1. lib. 2. cap. 45. n. 15.

77. *Quamnam potestatem habent Prælati Regulares in subditos circa votorum relaxationem?* Possunt dispensare, ac commutare non solum professorum vota, sed & nouitiorum; quia licet in illos non habeant potestatem dominatiuam: habent Ecclesiasticam. Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 13. n. 80. At Agrius p. 1. lib. 1. cap. 1. q. 2. contrarium asseruit.

78. *Potest ne confessarius simplex commutare votum in bonum æquale?* Negat Suarius de Rel. tom. 2. lib. 6. ca. 19. num. 6. Suar. quia commutatio voti pertinet ad forum externum, in quo ipse non est superior. At Lessius lib. 2. ca. 4. dub. 16. num. 105. Less. affirmat

affirmat. Imò probabile asseruerim posse sibi ipsum pœnitentem commutare, si sit materia subrogata euidenter æqualis; quia in dubio, an sit minor, possidet votum.

Laym. 79. *Egeone iusta causa, ut votum meum mutem in melius, vel in æquale bonum?* Asserit Layman. lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 22. At alij negant probabiliter.

Azor. 80. *Potest ne vouens, vel iurans se daturum centum aureos Ecclesia vel pauperi determinatè, ante acceptationem votum illud, aut iuramentum propria auctoritate in melius commutare?* Negavit Azorius tom. 1. lib. 11. cap. 19. quas. 12. Alij autem probabiliter asseruere, subscribo, quia probabilius est, ius à paupere, aut ab Ecclesia non acquiri, donec votum acceptetur. Deus autem, cuius intuitu vota ac iuramenta pia emittuntur, gratius habet, quod melius existit.

Sanch. 81. *In isto, an post acceptationem Ecclesie, aut pauperis possim votum illud in melius mutare?* Negat Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 41. num. 13. quia per acceptationem votum transit in contractum, & acceptum ius acquirit, quo inuitus priuari

Fagund. non potest. Asserit autem Fagundez Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 49. num. 11. quia vota pia vltimate diriguntur in Deum, tanquam in finem cuius: ideo ipsius habenda ratio, cui maius bonum semper est gratius.

Suar. 82. *Vt confessarius simplex vota mea possit commutare, requiritur nè iusta causa?* Cum commutat per Bullam, aut Iubilæum, non requiritur, sed sufficit eleemolynam pro bello præstare, & opera in Iubilæo præscripta gerere. Suarius de Rel. tom. 2. lib. 6. cap. 9. n. 3. cum verò auctoritate ordinaria com-

Sanch. mutat, iusta causa requiritur. Sine qua (ait Sanchez sum. tom. 1. lib. 4. cap. 51. num. 15.) votum pœnitenti commutans peccaret solùm venialiter; quia potestate in iure leuissima abuteretur. *Quanam iusta causa?* Si res subrogata hilarius acceptetur implenda. Lessius dub. 11. n. 96. Si pœnitens petit, iustam esse causam existimat, Sanch. cap. 50. n. 23.

Less. Sanch. 83. *Potest nè commutare vota, qui ex delegata potestate dispensat?* Potest; quia qui potest plus, potest minus. Layman.

Laym. Sanch. lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 20. At Sanchez sum. tom. 2. lib. 8. d. 1. n. 15. contrarium asseruit.

Sanch. 84. *Faciendane commutatio, aut dispensatio votorum in confessione sacramentali?* Per Bullam aut Iubilæum fieri potest extra confessionem. Idem docuit probabiliter Sanchez de Matr. lib. 8. d. 34. num. 22. contra Reginaldum tom. 2. lib. 31. cap. 28. num. 216. de commutatione seu dispensatione faciendâ virtute litterarum Apostolicarum; quia Pontifex in illis non

non dicebat, dispensationem expediendam esse in foro pœnitentiæ, sed in foro conscientiæ, quod solum requirit secretum animæ, non autem confessionem: sicut absolutio censurarum. Porro hæc opinio hodie sustineri non potest; quia in literis Apostolicis apponitur clausula: *Audita confessione, non aliter, nec alio modo.* Sic *Filliucius* p. 2. c. 10. n. 35. *Sufficit ne ad hoc confessio inualida?* Sufficit, dummodo deficiens quoad propositum, aut dolorem: sit integra circa ea, de quibus petitur dispensatio. *Suar. tom. 4. d. 31. sect. 4. n. 9.* *Sufficit ne quilibet confessarius?* Debet esse proprius illius pœnitentis, id est, qui sit approbatus pro illo *Sanchez de Matrim. t. 1. l. 3. d. 34. n. 16.* Quia cum debeat præmitti confessio, ille solus potest talis pœnitentis vota dispensare, qui potest eius confessionem audire.

Filliuc.

Suar.

Sanch.

85. *Votum meum in melius ritè est commutatum: possum ne ad prius votum redire?* Negat *Filliucius* p. 2. cap. 10. n. 288. quia commutatio in melius habet vim voti, & votum propria auctoritate non potest in minus bonum commutari. At *Sanchez de Matrim. tom. 2. lib. 8. d. 9. n. 21.* affirmat; quia commutatio fit in fauorem vouentis, vnde potest illi fauori renunciare; intelligitur enim facta sub conditione: si vouens nolit votum implere. Addit *Lessius* l. 2. c. 40. dub. 11. n. 47. si facta fuerit multiplex commutatio voti siue in eleemosynam, siue in ieiunium, siue in preces: posse vouentem eligere quam maluerit; & postquam elegit vnam, & renunciauit aliis, posse iterum ad eandem commutationem, vel votum redire. Limite tamen, nisi vouens acceptasset, aut consultò elegisset commutationem in melius bonum, ad maiorem Dei cultum: tunc enim commutatio facta esset in Dei fauorem.

Sanch.

Lessius.

86. *Non adest vera dispensandi mei voti causa, sed ipse existimo adesse: rogo, an sit valida dispensatio?* Affirmatiuè respondet: *Less. cit. dub. 17. n. 10.* Quia sic exigit recta Ecclesiæ administratio. Scio *Palauum tom. 3. tr. 2. d. 2. b. 9. a. 4.* contrarium docuisse, qui falsò fundamine nititur dispensatio.

Less.

Pal.

97. *Quamnam putas sufficientem esse causam dispensationis?* Si votum non ex plena deliberatione, sed ex leuitate, aut vehementi passione fuerit emissum. Si fuerit metu extortum, etiam si non sit exequendo difficile. *Sanchez de Matrim. tom. 2. lib. 8. d. 20. num. 12.* contra *Valentiam tom. 3. d. 6. quæst. 6. part. 7.*

Sanch.

Verent.

§. 6.

88. *Dubitatur quis, an cum vouit, vsu rationis habuerit propter ætatem; teneaturne?* *Suar. sentit, si vouit post septennium, præsumendum pro voto.*

Varia de

voto.

Suar.

- Salas. 89. *Voui ieiunare Quadragesima, sed dubito, an abstinentiam à lacticiis comprehenderim: quid tunc?* Ex Salas assero à lacticiis abstinere non obligari. *Voui certo die ieiunare, & dubito, num votum simpliciter, num verò cum dependentia à tali die?* Si eo die impeditus fuisti, non teneris alio ieiunare.
- Laym. Sic Layman.
- Lessius. 90. *Votum de patrandò veniali peccato, quòdnam crimen est?* Cum Lessio tantum veniale assero; quia materia paruitas excusat.
- Sanch. 91. *Certus sum me castitatem vouisse, sed dubito, an habuerim animum me obligandi: quòdnam præstandum? Num recurrendum ad Pontificem?* Teneris quidem votum seruare, tamen illud, auctore Sanchez, non est Papæ reseruatam.
- Sanch. 92. *Diuersis votis varia ad castitatem pertinentia promissa, possunt ne singula, atque ad eò commutari?* Licet ex omnibus simul iunctis consurgat obligatio ad perfectam castitatem, commutari possunt; quia (vti Sanchez aduertit) vota posteriora se habent per accidens ad priora: nisi vouens intendas ea coniungere; tunc enim teneris obstrictus voto perfectæ castitatis indispensabili.
- Sanch. 93. *Voui singulis mensibus confiteri, vel communicare, per duos vel tres dies ultra mensem distuli: num voto satis fecit?* Maximè, imò (loquor cum Sanctio) si infra octo dies à mense elapso solemnibus aliquis dies instaret, vel Iubileum, poteris tandiu differre, si ægrè bis intra octo dies confitearis; idemque de anticipando ex simili causa asseruexim;
- Sanch. 94. *Extinguuntur ne omnia vota tam in seculo, quàm in nouitatu emissa per solemne Religionis votum?* Sanch. affirmat, idem de iuramentis adiiciens.
- Sanch. Laym. 95. *Confert prima votorum emissio omnium peccatorum remissionem: num idem præstet ipsorum renouatio?* Sanchez negat, cum Laymano affirmo, quoties quis interno renouaris affectu.




EXAMEN V.

De Legibus in particulari circa materiam Mandati terij Decalogi de Festorum obseruatione.

CAPVT PRIMVM.

De Festiuitatibus obseruandis.

I.  *N*tertio praecepto Decalogi: *Sabbato sanctifices, determinatur tempus, quo Deo est externus cultus tribuendus. In Euangelica lege Sabbatum in diem est Dominicam mutatum. Igitur expendas, quanam solemnia obseruare teneamur? Ad Deum pertinet Dominica dies, cuius obseruatio perantiqua, & multis de causis iure Canonico introducta. Ad Christum duodecim Festiuitates pertinent, Incarnatio, Natiuitas, Circuncisio, Epiphania, Praesentatio in templo, Transfiguratio, Passio Domini, (quae minimè in praecepto) Resurrectio, Ascensio, Rogationes de praecepto non sunt, Pentecostes, Corpus Christi, Inuentio Crucis, B. Virgini dedicantur Conceptio, Natiuitas, Praesentatio, Annunciatio, Visitatio, Purificatio, Assumptio, Dedicatio S. Mariae ad niues, Expectatio, quorum solemnium Praesentatio, Dedicatio, & expectatio non vniuersaliter de praecepto custodiuntur. Ad sanctos denique pertinet Dedicatio Angelorum, & Apparitio, ex quibus prima tantum in praecepto. Natiuitas Ioannis, Duodecim Apostolorum dies, SS. Stephani, Laurentij, Sebastiani ex consuetudine S. Syluestri Romae, Martini alicubi, SS. Antonij, & Francisci ex deuotione, Annae, Magdalenae, Catharinae, & Luciae alicubi, Festum omnium Sanctorum: atque adeo dies omnes festi in anno octoginta sunt & vnus. Durant omnes aequaliter à media nocte in mediam noctem.*

2. *Quanam causa, ac cuiusnam potestas dies festos instituendi? In summo Pontifice amplissima potestas est. Episcopi in suis Diocesisibus instituere possunt, modo sit capax materia. Requiritur cleri, populi que consensus, vt Episcopus praeceptum imponat colendi festum; ex consuetudine tamen potest sine populo Episcopus. Laici praecepere festum diem non possunt, secus vacationem à seruilibus operibus, at non sub praecepto.*

Cura/ise

Consuetudo laicorum, & clericorum potest ne introducere dies festos? Potest, obligationem attamen non inducit, nisi fiat cum existimatione obligationis. Possunt ne singuli de communitate se obligare? Possunt se personaliter, non tamen ad posterum obligationem transmittere. Potest ne festus dies ad meridiem usque tantum institui? Ita quidem, & de facto alicubi observatur. Porro (vti integræ quæstioni satisfaciam) Festorum institutionis causæ multæ ad Dei, Sanctorumque honorem, gratiarum actionis, &c. pertinentes.

CAPVT II.

Quidnam præceptum, quidnam in die festo prohibitum?

3. **O**bscuro expendas, quidnam sit præceptum agere in die festo? Missam audire, quod quidem præceptum aliquo modo diuinum est absolutè Ecclesiasticum. Obligat ad mortale, si voluntariè omittatur, eiusque obligatio durat toto tempore ante meridiem. Impleri potest statim post mediam noctem. Infra de Missæ exauditione.

4. *Quidnam autem prohibitum in die festo? In die festo solum vacatio à seruilibus operibus præcipitur. Quid seruile? Illud, ad quod serui deputati sunt. Nec opus seruile fit, quia ob lucrum factum est de se ante seruilè non erat. In commodum alterius fieri, vel non, ad seruile opus extrinsecum est.*

5. *Si seruile opus necessarium sit ad hominis sustentationem, prohibitum ne est? Minimè, sicut neque ad curandum proximum; quia necessitas caret lege.*

6. *Quid si ad Dei cultum seruiatur? Si diuino cultui opera extrinseca propinqua sint, v.gr. ornare altaria, vestes sacras extrahere, & similia, licent. Romotiora, vt mundare scopis, tepetibus vestire parietes, & huiusmodi, nisi aliqua intercedat excusatio, saltem venialia sunt.*

7. *Num misericordia opera exercenda? De se seruilia non licent, vt consuere vestem pauperi, deferre ligna eidem, &c.*

8. *Quid de liberalibus? Studere, etiam artibus mechanicis, vt mentis instructioni opera detur, liberale est. Item scribere, nec fit seruile ob lucrum: transcribere autem etiam probabile fit seruile esse, contrarium probabilius affirmo. Pingere seruile ex suo genere. Itineratio minimè, nisi fiat cum*

oneratis iumentis, vel deferantur humeris onera. Nec choreas agere. Venatio si fiat ex officio, seruire est, vt pictura, ob voluptatem & recreationem minimè. Militia opus est ex se seruire, sed ex causa toleratur. Igitur quæ seruilia sunt prohibentur, quæ non seruilia permittuntur.

9. *Sunt ne aliqua opera, quæ & si seruilia non sint, tamen prohibeantur?* Sunt equidem. *Primò*, Mercatus, quo nomine comprehenduntur nundinæ, quæ fieri assolent semel in hebdomada: & ipse actus mercandi, contractus videlicet emptio- nis, & venditionis, exceptis rebus necessariis. *Secundò*, Placitum, sententia videlicet ciuilib; & strepitus iudicialis; nisi necessitas vel pietas excuset. *Tertiò*, Iudicium ad mortem, vel ad pœnam corporis grauem, nisi grauis intercedat causa; vsus tamen spiritualis potestatis licitus est. *Quartò*, Iuramen- tum iudiciale, nisi pro pace & necessitate præstetur. In par- ticulari autem prohibiti sunt forenses actus, vt citatio, cau- sa processus, examen, & sententia cum strepitu iudiciali; absolutio verò prohibita non est, nec actus extraiudiciales, nec appellatio; quàm tamen in die festo prosequi non licet, sicuti nec præstare iuramentum, per quod contractus obfir- metur.

CAPVT III.

De personis, quæ obligantur ad festos dies ob- seruandos, & de causis excusantibus ab obseruatione, deque transgressionis grauitate.

10. **Q**uam ad Festorum custodiam obligantur? Omnes fide- les ad festos dies, qui generaliter tota in Ecclesia co- luntur: ad speciales autem alicuius loci, tantum fideles illius illigantur. *Mutantes domicilium?* Non obligati sunt ad festa patriæ. *Quid de vagis, & peregrinis?* Si idem festum in loco transitus sit & in patria, obligatur ad illud peregrinus: aliter non. Vagi autem obligantur ad festa loci, in quo morantur, si- cuti etiam qui domicilium quærent. Absens quidem legibus loci in quo moratur, se conformare debet.

§. 1.
Personæ
addictæ
Festi ob-
serua-
tionis

11. *Num à loco festi, ad locum ubi non est, recedere consultò li- ceat?* Ita planè, & seruilibus inibi operibus vacare, ad Missam tam en audiendam tenetur, si commodè possit.

¶ 12. Perma

12. *Permanet peregrinus quodam in loco: num tenetur ad illius festa? Si permanenter habitet, tenetur tam ex consuetudine, quam ex iurisdictione; at si versetur tanquam in hospicio, probabile satis est non teneri. Quidnam requiritur ad hoc, ut quis dicatur habitator? Vel domicilij vera acquisitio per animum ibi perpetuò manendi coniunctum cum habitatione; vel acquisitio quasi domicilij, quæ animo ibi per maiorem anni partem habitandi habetur; ad hoc autem ut reddatur habitator in ordine ad obligationem legum localium, breuior mora satis est.*

§. 2. *Causa excusantes à custodia Festi.* 13. *Quenam causa excusant ab obligatione festorum? 1. Imminens necessitas, ut paupertatis, ob quam, nisi laborem in die festo, non habeo, quo viam; damni in agricolis tempore messis laborantibus; vel in coquentibus lateres, aut calcem; vel in famulis qui præcepto domini laborare coguntur; in satoribus autumnii tempore; militibus tempore belli, & similibus. 2. Necessitas Reipublicæ: unde excusantur reficientes pontes, & vias, quæ sine incommodo differri non possunt; vel providentes de rebus necessariis; vel artifices pro publica causa, parantes bellica tormenta, & huiusmodi. 3. Necessitas proximi: sic laborantes ad extinguendum ignem accensum in domo proximi; vel opera tonsoris, pharmacopolarum, chirurgi facientes, excusantur. 4. Pietas in Deum & proximum. 5. Dispensatio siue à iure, v. g. occursum copiosæ capturæ piscium forense iudicium, quando necessitas, vel pietas suadet: siue ab homine, ad quam requiritur potestas; causa, & voluntas externo signo expressa: siue à consuetudine, ex qua multi excusantur, ut piscatores: venatores, pictores, quoad aliquos frequentiores actus, barbitonfores, artifices aliqui preparantes materiam, muliones, & agalones, alique officiales vendentes in die festo rusticis venientibus tunc commodè de villis.*

§. 3. *Delictum contra festi obligationem.* 14. *Quanta est seruandi festa obligatio? Grauis utique. Ex leuitate tamen materiæ, & aliis causis peccatum veniale esse potest. Quenam grauis materia? Spatium duarum horarum grauis materia videtur esse Fillucio & aliis: ego grauem assiduo quod spatium duarum horarum excedit. An aliquod operis otiositatis fugienda gratia sine veniali geri possit? Ita planè, ut delinere, filo globulos immittere, calamo pingere, & his similia.*

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Festorum obseruatione ex
Societatis IESV Doctoribus.

15. **P**rohibentur ne opera seruilia in Festis tantum Christianis, an omnibus communiter? Haud dannandus dominus qui huiusmodi opera mancipio imponeret infideli; quia mancipium infideli non peccat, si quidem Ecclesiasticis legibus non tenetur. Vnde putat Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 5. num. 3. licitum esse imponere opera seruilia perpetuo amentibus; quia non delinquant, &c. Probabilius alij ab huiusmodi onere amentes liberant. Fernandez p. 3. mand. 3. num. 16.

16. Prohibita ne diebus festiuis iuramenta? Ait Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 8. solummodo iudicialia prohiberi, quae solemniter coram iudice praestantur; quia de his agit textus cap. 1. de ferijs. Alioqui omne iuramentum priuatum, ex eo solum, quod in festo fieret, esset speciale peccatum. Igitur si absit scandalum, non peccant Notarij in diebus festiuis contractus celebrantes. Suarez de Reliq. tom. 1. lib. 2. cap. 30. num. 17. permittit in paruis oppidis litigantium iudicia, quia aliis diebus rustici non adsunt agriculturae intenti.

17. Peccant ne Commissarij, Notarij, vel alij acta Curiae, conciones, & alia transcribentes, etiam ex mercede? Non, quia seruile opus cum non sit, est per accidens, mercede geri. Suarez de Rel. tom. 1. lib. 2. cap. 25. num. 4.

18. Excusantur ne Typographi? Characteres ordinantes excusantur; quia opus seruile non est: praelo incumbentes, minime; quia opus seruile. Ex Layman. doctrina colligo, qui 1. 4. tract. 7. cap. 2. num. 3. asserit pictores pingendo non violare festum, molendo autem colores violare.

19. Quoniam de digladiatoribus, vulgo, Esgrimidores? Eos Granado excusat 2. 2. cont. 3. tract. 12. disq. 4. sect. 7. num. 67. quia non est opus seruile: sicut saltare, pulsare citharam, &c. Suarez autem de Reliq. tom. 1. lib. 2. cap. 28. numer. 8. seruile opus indicat illud armorum exercitamentum.

20. An licitum bellum committere die festo? Afferit Suarez citatus, licitum in necessitate. At Granado ubi supra num. 15. etiam

Suar. etiam extra necessitatem, si audiatur Missa. Ego crediderint, etiam vigente *Suarij* sententia, semper esse licitum; quia semper adest necessitas bellum non differendi. Efficacius excusatos habe, qui vrbes, aut oppida vallo, aggeribus, aut fossa muniunt.

Suar. 21. *Licet ne die festo piscationi, aucupationi, venationi operam dare?* *Seruilia Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 28. num. 3.* reputavit. At venationem ratione consuetudinis admittit, non autem piscationem. Porro *Granado 2. 2. cont. 3. tract. 12. d. 4. sect. 7. num. 65.* asserit venationem ferarum non esse seruilem, licet fiat ob lucrum: piscationem verò seruilem esse, si fiat ferendo retia, remigando, &c. Porro *Fillucius tom. 2. tractat. 27. cap. 9. numer. 172. & 173.* putat

Filliuc. haud illicitam venationem, piscationem, &c. industriosam, & ob recreationem: esse verò illicitam si sit laboriosa, & ex officio.

Suar. 22. *An seruilia opera, iter agere, saltare, choreas ducere?* Minimè, quia est actio naturalis in quadam corporis situatione consistens. *Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 27. num. 2.* *An seruiliter agant die festo agasones, vel muliones inchoantes iter cum bestiis oneratis?* Rarò peccant mortaliter; quia licet leuare, & imponere onera est opus seruile, hoc plerumque paruo tempore praestatur. Scio *Suarium citat. num. 6.* eos solum excusare in continuatione itineris alia die inchoati ratione publicæ utilitatis, vel vitandi proprii nocumenti. Ac nunquam non nocumentum mulioni bestias medio in itinere ferari.

Laym. 23. *Excusantur sartores ratione necessitatis: rogo tamen quam sit necessitas eos liberans à peccato?* Reputatur necessaria confectio vestium pro funere, pro nuptiis instantibus, nec sine incommodo differendis. Interdum excusantur, si post medium noctis præcedentis festum laborare coguntur, ut vestes promissas perficere valeant. *Layman. lib. 4. tract. 7. c. 7. num. 2.*

Fernan. 24. *Concessit Pontifex in cap. licet de feriis piscationem halecium, quæ vno anni tempore transire solent, ratione lucri transitorij; scio extendi ad piscationem thunnorum, & piscium similium: rogo autem, an possit id indultum extendi ad omne lucrum transitorium?* Asseruit *Fernandez part. 1. cap. 7. §. 1.* omne lucrum transitorium repentinè, occurrens ex illo cap. excusare. Vnde excusat tonsores in diebus festis operam dantes muneri suo, propterea quod in aliis diebus

Suar. tondendi non accedunt, propter occupationes. At *Suarium*

de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 33. num. 9. contrarium affirmat; quia in eo cap. Pontifex ad publicam aspexit vtilitatem, & ideo non fieri debere extensionem ad priuatam singulorum. Profectò tonsores radentes barbam vnius, aut alterius, ex paruitate materiæ excuso: si autem omnium tonsioni incumbant, si fert consuetudo, non peccant; si non est tolerata consuetudo, delinquent.

25. Excusandi ne aliqui ratione pietatis? Certè Saa v. Saa. Festum, num. 6. excusat puellas suentes, vel aliud opus facientes ad vitandum otium, ne ad fenestram conspiciendas se exhibeant. Alij liberant à reatu exercentes die festo opera seruilia ad templa ædificanda, vel reficienda gratis, ad eleemosynam gerendam, ad ornanda delubra, &c. Ast ego cum illis sentio, qui laborantes, vel hoc prætextu sine necessitate, non excusant; quia opus Religionis extra necessitatem non debet prætermitti.

26. Dixisti paruitatem materiæ à graui excusare piaculo: materiæ paruitatem quoad quantitatem, & qualitatem assigna? Existimat Reginaldus tom. 2. lib. 16. cap. 3. Regin. numer. 53. id, quod minus integra hora est, paruitatem esse materiæ. Ast Filliucius tom. 2. tractat. 27. cap. 11. numer. 250. Filliuc. paruam materiæ hac in re duas horas esse putat. Consentit Henriquez com. cas. consec. cap. 7. num. 4. Porro in Henriq. oneribus forensibus, & iudicialibus paruitas materiæ non debet sumi ex temporis insumpti quantitate, sed qualitate operis v. gr. venditio rei magni momenti cum magna solemnitate celebrata etiam per tempus breuissimum esset lethale piaculum. Quod à fortiori in actibus iudicij procedit, secus si res vendita esset parui momenti, vt calceorum, aut frugum venditio, &c. Palaus tom 1. tract. 9. Pal. §. 2. p. 3. n. 4.

27. Scio dies festos ex iure constitui debere, Episcopos- §. 2. que non posse sine consensu populi eos instituere: Quid si De festis ille solus instituit? Non tenetur populus obseruare, si iuri statuen- standum, iuxta cap. conquestus, de feriis. At ex consuetudi- dis. ne Episcopus assolet festos dies statuere adhibito Clericorum consilio, non suffragio. Populi quidem consensus requiritur, sed sufficienter præsmittitur de consensu, quoties non reclamatur, & contradicit. Fagundez pr. 2. lib. 1. Fagund. c. 3. num. 11.


28. An liceat Episcopo diem festum alicuius Beati nondum canonizati instituere? Licere asserit Suarius de Relig. tom. 1. Suar. lib. 2. cap. 1. num. 4. & 5. quia beatificatio est velut canonizatio

zatio apparatus minori celebrata. Alij autem contrarium asseruere.

§. 3. *Varia de festis.* 29. *Habitat quis in duplici Parochia diuersa festa celebrante: ad quamnam tenetur celebrandam? Ex Fillucio respondeo* teneri ad eius festa seruanda, in qua præsens est.

Billiuc. 30. *Dixisti agasones, & muliones non esse mortalis criminis reos; quia licet opus seruire, in oneribus leuandis vel imponendis, non multum temporis consumunt: an possimus idem affirmare de ducentibus iumentis lignæ silua? Ex Fillucij citati doctrina idem asseruero, si opus seruire cedendi, imponendi, & deponendi duarum horarum spatium non multum excedat; quia reliquus labor iumentis humeros aggrauat,*

Tolet. 31. *an famuli quando coguntur à dominis diebus festis laborare seruiliter, parere possint? Ex Toletio respondeo, posse sine peccato, modò non cogantur in Ecclesiæ, aut festi contemptum: tunc enim deberent mori potius, quam laborare. Adicit tamen huiusmodi famulos, qui sæpe ad laborem die festo coguntur, transacto tempore suæ obligationis, debere alium querere dominum, sub quo possit festa obseruare; nisi desint quibus commodè suam operam locare possint: aut si magnum mutatione illa incommodum paterentur.*




EXAMEN VI.

De legibus in particulari circa materiam quarti Mandati Decalogi de parentum cultu.

CAPVT PRIMVM.

De mutua Parentum, & Filiorum obligatione.

§. 1. *Obligatio filij erga parentes.*

1.  *Votum obsecro circa parentum honorem obseruanda? Curanda sex, internus amor, externus, subuentio in necessitate spiritali, in corporali, adimpletio testamentorum, & dilectio in ordine ad supernaturalem beatitudinem: hinc consequenter totidem modis possunt filij delinquere.*

2. *Quid circa alimenta? Iure gentium alimenta parentibus debentur, iisque subueniendum in graui necessitate, Num*

si professus sit in Religione filius egredi teneatur? Minimè, nisi parentes extremam necessitatem paterentur; tunc autem deferendus etiam habitus esset.

3. Licet ne alimenta parentibus aliquibus in casibus denegare? Licet in his, in quibus ab eisdem exheredari possunt.

4. Quidnam præterea filius debet parentibus? Eorum curare sepulturam, soluere debita, quæ facultatem hæreditatis non excedunt. Nunquam licet filio patrem occidere, nisi patriæ hostis esset. Denique grauer delinquere potest filius non obediendo in iis, quæ ad domus gubernationem pertinent, ad bonos mores, & ad statum matrimonij in quibusdam casibus.

5. Quidnam vicissim parentes filiis debent? Necessaria ad vitam subministrare, bonis moribus instruere, non vendere absque iusta causa, liberare à seruitute, prouidere illis volentibus studio operam dare.

6. Potest ne pateris alimenta filio denegare? In his casibus potest. Si patrem accuset, si ipsemet illis indigeat, si fuerit ingratus, si habeat, unde sustentari queat, si quid agat, ob quod hæreditate spoliari possit. Aliàs quidem iure naturali filii patres alimenta debent.

7. Quidnam patris proprium? Filiis prouidere in futurum, non priuare hæreditate nisi iusta causa, dotare filias.

8. Præscripto debentur ne alimenta? Debet pater ei simpliciter necessaria. Quid de spuris? Spurio etiam de iure Canonico necessarium alimentum debetur. Clerici spuris relinquere possunt alimenta necessaria. Num excommunicato filio, aut Religiosi è cenobio eiecto debeantur alimenta? Ita planè, si eiectus egeat, etiam hæretico, si aliunde non habeat.

9. Valet ne renunciatio alimentorum? Minimè, absque iudicis auctoritate, nisi iure iur. Neque alimenta præterita tenetur pater resarcire in conscientia, secus in exteriori foro. Profectò inter alimenta impensæ pro filio ad studia comprehenduntur. Dos ne spuris tradenda? Ita planè.

10. Quanam propria matris? Duo, vnum, alere filios usque ad tertium annum, & lactare eos per se, vel per bonam nutricem.

S. e.
Obligatio parentum erga filium.

CAPVT II.

De mutua coniugum obligatione.

§. 1. 11. **Q**uamnam viri erga uxorem obligatio? Eam in diuinis
 Obliga- praeceptis non potest impedire, in humanis iusta de
 tio ma- causa potest. Grauius percutere minimè, secus reprehendere,
 riti erga & moderatè corrigere. Domus administratio ad virum
 uxorem. spectat, & cum uxore tenetur habitare, nec abesse, nisi ex iu-
 sta causa.

§. 2. 12. **Q**uamnam autem uxoris erga virum? Obedire debet
 Obliga- marito in domus administratione. In rixis cum viro graui-
 tio vxo- ter aut leuiter peccare potest iuxta materiae, aut affectus gra-
 ris erga uitate. Tenetur sequi virum, quosdam casibus exceptis.
 mari- Aliquando potest se se administrationi domus ingerere. In-
 tum. iucem equidem debent sibi amorem, reuerentiam, toleran-
 tiam, & debiti redditionem.

CAPVT III.

De mutua dominorum & seruorum
 obligatione.

§. 3. 13. **E**xhibe seruorum erga dominos obligationem. Tenentur
 Obliga- debitum honorem dominis deferre, obedientiam
 tio ser- præstare, conseruare domini res, in ægritudine iis Sacramenta
 uorū er- procurare, & malis tutari imminentibus.

14. **Q**uandònam serui tenentur non fugere, quandònam
 ga domi- autem fugam possunt arripere? Iniusto bello capti fugere pos-
 nos. sunt, non autem qui sese vendiderunt in seruos. At iusto bel-
 lo capti, etiam fugere ad suos valent, absque vi tamen, aut
 deceptione fidei data. Capti apud infideles etiam fugere
 possunt, & iis dari valet consilium ad fugam: accipere autem
 ad fugam necessaria à Turcis vel aliis hostibus Christiani
 nominis possunt.

15. **Q**uid de peculio seruorum? Habere possunt peculium
 suum permissu domini, mobilibus, vel immobilibus constans.
 Absque domini autem consensu inutilis est donatio.

16. **S**i uxorem duxerint, cuius potius seruire debent, do-
 mino, an uxori? Magis domino, quam uxori, si domino in-
 scio eam duxerint: secus si sciente.

17. *Nunquam*

17. Num in omnibus obedire domino teneantur? In iis plenè, quæ contra naturale ius sunt, vel contra diuina præcepta parere non debent. Tria autem præstare tenentur famuli heris suis: honorem, reuerentiam, & obsequium.

18. Quidnam dominus debeat seruo? Honestam sustentationem, institutionem in rebus fidei, & correctionem fraternam. Haud domino potestas necandi seruos; si tamen occideret, nihil vlli deberet, nec si mutilaret. Alimenta in totum subtrahere non potest. Ex delicto eius iussu commissum tenetur.

19. Quid de famulis alendis & gubernandis? Alimenta, quæ dominus famulo debet, famulatu congruentia debent esse. Ad hospitale licet quandoque mittere; & iustè merces subtrahitur, cum agrotat. Ex contractu aut delicto famuli herus non obligatur, nisi iussu, aut auctoritate domini facta sint. Debet expellere herus famulos moribus corruptos, nisi ad meliorem redituros frugem speret.

CAPVT IV.

De mutua Prælatorum & Clericorum obligatione.

20. AD quidnam Clerici erga Prælatos tenentur? In actibus quidem internis obedire non tenentur, neque in malis etiam venialiter. In dubio de peccato, præcipienti Prælato obedire tenentur: debet autem eius voluntas illis esse denunciata. Tenentur profectò obedire in pertinentibus ad Clericos. Beneficarij ad subsidium charitativum, contributione videlicet quadam in pecunia, vel æquiualentia re à beneficiariis facta in quibusdam casibus erga Episcopos. Curati etiam, & Religiosi erga suos Prælatos peculiaribus tenentur obligationibus.

21. Prælatorum erga Clericos recense obligationes. Debent residere, ad quam probabilius reputo iure diuino teneri. Ad breue tempus cum causa abesse possunt. Quanam iusta causa discessus? Quinque exhibeo, Christianam charitatem, utilitatem Ecclesiæ, & Reipublicæ, vrgens necessitas, & debita obedientia.

22. Quoad leges morum ad quidnam tenetur? 1. Quotannis Synodum facere. 2. Visitare singulis annis dicecesim per se, vel impeditus per alium. 3. Instituire idoneos ministros. 4.

G S

Inquirere

Inquirere in populi sui peccata. 5. Corrigere subditos. 6. Superflua pauperibus largiri. 7. Iudicare causas Ecclesiasticas. 8. Approbare Confessarios, Concionatores.

23. *Quanam eius potestas?* Potest conferre indulgentiam quadraginta dierum, imponere censuras, in quibusdam irregularitatibus, & impedimentis matrimonij non dirimentibus dispensare, & alia plura gerere valet.

24. *Quidnam ei circa ordines, beneficia, & confirmationem conferendam præstandum?* Eos per se conferat, vel aliò mittat. Singulis annis chrisma conficiat, suis temporibus Sacramentum Confirmationis conferat, dignos ordinet cum sufficienti titulo. Porro beneficia solummodo dignis conferat, ad testamentorum denique executionem maxime in piis causis attendat.

C A P V T V.

De mutua Principis laici, & subditorum obligatione.

§. 1.
Obligatio
Vasalli
erga Prin-
cipem.

25. **A**d quidnam tenetur vasallus erga Principem? Debet vectigalia soluere: in necessariis tamen familiae defraudantes minime obligantur nisi in quibusdam casibus, Nouæ gabellæ debentur, si iustæ sint; si non petantur, seclusa fraude, non est obligatio soluendi. Soluentes poenam non tenentur ad gabellam: tenentur tamen, quando in conscientia eorum id relinqueretur. Potest quis non soluere, quando certò scitur, non impendi gabellam in rem ob quam imposta est. *In dubio de iustitia?* Præsumendum pro Principe, & etiam infideli soluenda.

§. 2.
Obligatio
Principis
erga Va-
sallum.

26. *In quibus autem Superiores laici erga subditos tenentur?* Cum virtutes laici Principis debeant esse Religio in Deum, Clementia, Liberalitas, iustitia, Fortitudo, Prudentia, Magnificencia, Magnanimitas: vitia autem: Cupido immodica regnandi, indictio belli iniusti, socordia in muniendis Regni arcibus, negligentia in viis publicis reparandis, non subuenire miserabilibus, non tollere consuetudines prauas, Exactionibus iniquis subditorum copias exhaurire, iniustas leges condere, subditum ad certum matrimonium cogere, vel in contracto impedire, suisque priuatis commodis studere: obligatur quidem, & proprietates Principis exercere, & vitia fugere, sub mortali quidem, aut veniali iuxta materiae grauitatem.

27. *Peccant*

27. Peccant ne Principes assumentes ineptos ad gubernationem? Si omnino inepti sint, peccant graviter, & ad restitutionem tenentur; si autem sint minus idonei, peccant quidem, sed minimè tenentur ad restitutionem.

28. Spectat ne ad Principes cura Sacrorum? Profectò ad ipsos patrociniùm spectat, cura ad Episcopos. At residentia Episcoporum? Non pertinet ad Principes, curare tamen possunt, ut ea seruetur.

29. Quid de officiorum venditione, aut naufragantium, bonis? Officia lucrosa vendere non semper licet: nec bona naufragantium applicare sibi licet, nisi derelicta sint.

CAPVT VI.

De mutua Magistri & discipuli obligatione.

30. Quidnam debent Magistro discipuli? Honorem, reuerentiam, obedientiam in pertinentibus ad bonos mores. Debent item vacare studiis; & pecuniam à parentibus traditam expendere iuxta magistrorum voluntatem, vel iuxta debitam dispensationem.

§. 1.
Obligatio Discipuli erga Magistrum.

31. Quid Magistri? Eorum peccata dissimulare non debent, eos in literis promoueant, & eorum curam in pertinentibus ad mores gerant. Plura sigillo sequenti, Interim Doctores tenentur ad multa. 1. Nihil docere contra fidem, aut bonos mores. 2. Discipulos ab aliis Doctoribus non auertere. 3. Diligenter studere, ut officio suo satisfaciant. 4. Stipendia æquo maiora non exigere. 5. Captui auditorum sese accommodare. Porro caueant ne Doctoratus insignia negent dignis, aut indignis conferant, aut malè moratos admittant scholasticos, aut eos permittant, cum possint reprimere, suffragia indigno impendere, aut pro suffragio iusto, aut iniusto pretium accipere.

§. 2.
Obligatio Magistri erga Discipulum.

CAPVT VII.

Praxis, circa materiam de parentum cultu ex Societatis IESV Doctoribus.

§. 1.
De parentum & filiorum obligatione.

32. Potest ne pater filiam cogere impuberem Monasterium intrare causâ educationis; Potest, sicut cogere puerum

puerum, vt scholam ineat, vel artificium. Pueri autem tenentur obedire; quia illa in ætate non tam sua, quàm parentis voluntate regendi. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 2. num. 15.*

33. *Quid post filiarum pubertatem? Non potest parens sine lethali cogere ad manendum in monasterio cum seculari habitu vsque ad nubendi occasionem: quia fœminæ maioris ætatis in iis, quæ ad statum suæ animæ pertinent, sui iuris sunt ideoque non possunt ad tam arctam compelli custodiam. Nisi ad aliquod breue tempus moraliter necessarium ad illarum custodiam censeretur. Sic Suarius de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 9. dub. 4.*

34. *Scio Tridentinum sess. 25. cap. 18. sub excommunicationis pœna prohibere, ne ullus fœminam cogat Monasterium inire, habitum suscipere, aut profiteri: quæserim, an pater cogens filiam puberem ingredi Monasterium non animo adscribendi eam Religioso statui, excommunicatione feriatur? Respondet Suarius citat. non incurrere; quia Concilium loquitur de illo tantum ingressu, qui à parentibus per se ad habitus susceptionem ordinatur. Quid si ordinetur animo eo, vt filia Monialium exemplo ad habitum suscipiendum illicitur? Licet planè, tunc enim fœmina alliceretur quidem, non cogetur.*

35. *Tenetur ne parens dare filiis alimenta, & dotem? Adeo tenetur (ait Fagundez Dec. tom. 1. lib. 4. cap. 5.) vt filius Magnatis, cui pater noluerit iuxta statum alimenta exhibere, possit sine lethali vxorem ducere diuitem, & nobilem, licet genere aliquanto inferiorem, inuito parente. Tenetur & præstare etiam filiis spuris alimenta, & dotem. Quid si pater sit Clericus? Ad alimenta tenetur, ad dotem autem, in cuius solutione maius patri incommodum, & proximo scandalum emergit, asserit Molina de iust. tom. 1. d. 124. num. 22. non teneri; præsertim vt dos inferuiat ad alendam familiam filij, ad quod pater non tenetur.*

36. *Teneturque pater filios ad ieiunandum cogere, præcepti diebus? Non debet è domo eiicere ieiunare renuentes, sed lege charitatis corripere. Ex Petro Hurtado accepi. Qui addit non teneri dominum famulum nolentem ieiunare, è domo exturbare, aut victum tollere: vel eius famulatu se priuare, quod incontinens sit, si amasiam extra parietes habeat: secus si eadem domo cohabitarent.*

37. *In extrema necessitate (circa parentes primum requiritur) subuenire debeo filio meo, an parenti? Toletus respondet pro*

probabilius subueniendum patri. Et quidem in vitæ periculo patri potius subueniendum, & præferendus ille etiam ei, cui fuisset iuratum; quia intelligitur pater exceptus.

38. *Quinam communiter ad alia multa nomine patris veniunt intelligendi?* Superiores, vt sunt Episcopi, Curati, Imperatores, Reges, Principes, Tutores, Curatores, & Magistri, quorum prudentia erudimur, & doctrina: his certè omnibus honorem & reuerentiam exhibendam & hoc præceptum, & naturæ dictamen nos edocet; vnde coniciunt contumelias in hosce, ad grauemque iram iustam prouocantes grauius delinquant Ex Saa & aliis. Saa.

39. *Num teneatur pater non solum filio etiam proscripito & emancipato alimenta præbere, sed & filij uxori, dum filius præbere non potest* Ex Azorio tenetur; vxor enim & maritus idem reputantur. Azor.

40. *Num mater filio alimenta præbere teneatur?* Præter lac minimè, & ipsam lactationem debet ex defectu patris; vnde existimo quod si ipsa iustè excusatur ab immediata nutritione, ad patrem solum pertinere sumptus filio nutriendo licet ad matrem pertineat bonam filio nutricem adhiberi curare.

41. *Possunt ne parentes filium agrotantem ad hospitale remittere?* Mortaliter peccant, nisi adsit iusta, v. gr. neffiratis causa. Azorius. Azor.

42. *Obligatio ne filios alendi transit ad heredes parentis, qui filios alere tenebatur.* Maximè ex Azorio; sed non transit directè ad donatarium; neque ad eos, qui bona parentum titulo emptionis, vel similis contractus acquisierunt; transmittitur tamen ad fiscum, cui bona parentis addita fuere, ob ipsius parentis delictum. Azor.

43. *Pater qui filio alimenta non præstitit, tenetur ne ad restitutionem?* Maximè ex Lessio, nisi fortè ob id filius debita contraxisset. Lessius.

44. *Tenetur ne pater filia nubenti dotem competentem constituere?* Tenetur planè etiam spuria, quamuis filia diues sit, aut monasterium ingredi velit, aut nubat, inuito parente, aut etiam indigno; secus si filia nubens cum dedecore indigno maior sit viginti quinque annis; & diues, patrisque alimentis non indigeat. Neque pater eximitur ab onere dotis, alio tradente. Sic Fagundè. Fagundè.

45. *Possunt ne filij priuari hereditate, & alimentis?* Multis de causis posse ex meis Doctoribus collegi. 1. Ob percussione parentum iniustâ cum lethali culpa. 2. Ob graue & inhonestam iniuriam.

iniuriam. 3. Ob accusationem in iudicio, excepto crimine hæresis, & læsæ Maiestatis. 4. Ob attentationem in vitam patris. 5. Si cum maleficis versetur. 6. Si copulam habeat cum nouerca, seu patris vxore. 7. Si non succurrat patri. 8. Si impediatur ne pater testamentum conficiat. In his certè casibus pater filium hæreditate priuare potest, non verò alimentis, si aliunde filius non haberet.

46. *Quid de filia aut inuitis parentibus nubente, aut luxuriosè transigente vitam?* Nubens parentibus inuitis, seruata Tridentini forma, attento iure Canonico non potest hæreditate priuari, imò neque Casareo, nisi filia sit minor viginti quinque annis, & parentibus volentibus ipsam in matrimonium coniungere renuerit, & luxuriosam degere vitam voluerit, Tamen filia, quæ bis tantum copulam commisit, non potest ob id hæreditate priuari. Idem affirmo si post viginti quinque annos luxuriosam vitam degerit: imò etiam si ante viginti quinque annos, si mater illius luxuriosam vitam degat, & nondum correctæ sit exhæredationis tempore; secus dicendum, si solus pater luxuriosè viuat. Porro à fortiori filius inuito patre contrahens etiam cum indigna, non potest hæreditate ideo priuari; quia leges solummodo de filialibus loquuntur. Certè exhæredatio non tollitur per reconciliationem superuenientem, aut penitentiam: tollitur verò Religionis promissione. | *professione*

§. 2. 47. *Quod attinet ad coniuges, quarum, num teneatur vir uxorem alere, si ob viri scitium recedens renuat oblata securatione ad virum redire?* Non teneri affirmo ex Fagundæ, si verò vxor vtriusque coniugis culpa recessit, deinde ad maritum redire contendat, maritus autem id non patiat, alenda est à marito; quia vltima culpa ipsi marito est imputanda. Alenda item, quoties dos casu fortuito perit.

48. *Num vxor aut filij ad soluenda debita teneantur, quæ vir seu pater contraxit pro vxore aut filij alendis?* Minimè, nisi pater illa acceperit nomine ipsorum, vel protestatus sit, nolle gratis illa præstare, aut nisi acceperit in fraudem, id est, sine iusta causa, scientibus filiis, & vxore.

§. 3. 49. *Seruorum ac dominorum percurre obligationem. Tenetur ne dominus de damnis, quæ cum posset non impedire circuminis, ac ea famulos, aut vasallos?* Tenetur planè. Potest in domibus seruorum dare hospitalium externis per aliquot dies, modò id suis præstet expensis. Potest & solus hospitium, & furnum publicum, si velit, habere. Valentiam consule. *anctum an mulum ob peccatum domo eicere?* Non nisi fortè id necessarium

rium fit ad peccatum illud vitandum, aut nisi futura mansio
familia: graui nocumento. Sic Azor.

Azor.

50. Si famulus ad annuum conductus ante tempus discedat,
debetur ne ei merces? Cum Rebello affirmo deberi mercedem
temporis, quo seruiuit, nisi domini multum interesset cum
diutius morari.

51. Tenetur ne herus soluere salarium famulo infirmo, quan-
diu agrotans est? Molina negatiue respondet, nisi fit in ex-
trema, aut graui necessitate? tunc enim ex charitate te-
neretur. Imo potest ab eo exigere sumptus in curatione
factos.

52. Potest ne seruus bello captus fugere? Molina affirmat iusto
bello captum peccare mortaliter fugiendo, tenerique se do-
mino restituere. Ego autem sequor Valentiam asserentem pos-
se fugere etiam ab eo, qui se emit à captiuitate, nisi non fugere
promississet.

Valentia

53. Num bona ludo, aut dono, aut hereditate à seruo acquisita
domini sint? Cum Valentia negatiue affirmo de captis in bello,
sed & ad emptorios alij extendunt.

Valentia

EXAMEN VII.

De Legibus in particulari circa materiam quinti
Mandati Decalogi de Occisione.

CAPVT PRIMVM.

Quidnam in Præcepto quinto prohibeatur?

Hoc Præcepto: Non occides, quid prohibitum est? Om-
nis occisio, quæ contra naturam fit, non anima-
lium, vnde venatio sua natura licita est. Vna cum
occisione hominis prohibita est mutilatio, contu-
melia, voluntas occidendi, mutilandi, percutiendi, & omnis
ad id cooperatio.

Quinam debet habere homicidium, vt prohibitum non sit?

Tria præcipue, iustam causam, publicam auctoritatem, & vt
fiat secundum ordinem iuris. Porro malefactores non pro-
hibentur occidi. Innocentis occisio absolutè est prohibita;
nisi in aliquo casu necessaria esset ad bonum Reipublicæ.
Tyrannum gubernatione non licet occidere ex iniusta inua-
sione;

sione;

sione, in ipso inuasionis actu licet, vt patriæ hostem; at si possessionem Regni adeptus iam sit, publicum iudicium postulat. *Quid de viro in flagrante uxorem occidente?* Peccat planè, sed legibus non punitur: vt minister tamen publicæ potestatis, post latam à iudice sententiam occidere absque peccato posset.

CAPVT II.

De variis Homicidij speciebus.

§. 1.
Homici-
dium
Puni-
tuum.

1. *Quotnam Homicidij species?* Nouem præcipuas ad numero. Punitiuum, defensiuum, voluntarium sui ipsius, voluntarium aliorum, per Abortum ex ludo, Casuale, ex Duello, ex Bello.

2. *De iustitia Homicidij punitiuo differe.* Malefactores possunt occidi, nocturni diurni fures, & alij quicumque malefactores, etiam certò damnandi.

3. *Quid de proscriptis publicè?* A quolibet etiam priuato possunt occidi, intra territorium tamen proscibentis, extra minimè. *Licet ne bannitum occidenti premium proponere?* Licet. *Filij ne ex legitima facultate interfectorum patris aut fratris occiderent?* Possunt planè. Porro ante sententiam non datur facultas quemquam occidendi.

4. *An iudex addicere morti potest, quem secretò tantum deliquisse cognouit?* Minimè, nisi eam Respublica facultatem daret. *Dignum morte ex actis, & probatis, potest ne iudex à morte eximere?* Non; Princeps verò in aliquo casu posset.

5. *Quid, si innocens ex actis & probatis nocens apparet dignus morte?* Non potest eum condemnare iudex, Princeps autem deberet ei carcerem aperire.

§. 2.
Homici-
dium
defen-
siuum.

De Homicidio defensiuo quid? Aggressor potest ab aggresso occidi, ad se defendendum cum moderamine inculpatæ tutelæ; quod locum habet etiam si aggressus daret operam rei illicitæ, etiam cum periculo innocentis; eiusque aggressoris mors expeti potest, vt medium suæ necessariæ defensionis.

6. *Præueniri ne aggressor potest aliquando?* Potest, vt etiam insidiator. *Tenetur ne aggressus cum dedecore fuzere?* Minimè. *Potest ne prætermittere defensionem?* In aliquibus casibus potest, at ferè nunquam tenetur. *Licet ne aggressorem occidere*

pro

Examen VII. De Homicidio ad Mand. 113

pro defensione rerum mearum? Licet, modo sint res necessariae, vel grauis momenti.

7. Licet ne pro defensione honoris verbis tantum impugnat aggressorem occidere? Minimè; licet tamen si factis impugnetur. Fugit aggressor. Occidere non licebit.

8. Pro defensione castitatis potest ne scæmina violatorem necare? Potest. Pro defensione proximi bonorum, & honoris? Idem affirmo. Num obligatio proximum defendendi cum meo probabili periculo? Non, si defendens priuata sis persona; at obligatus ex iustitia, teneris. Num iuste damnatum teneat pecunia redimere? Minimè teneris.

Homicidij voluntarij sui in se explicat obligationem. Homicidium proprium nunquam licet, nec sui occasionis iusta causa dari vnquam potest; nec etiam pro castitate seruanda. Mutilatio pariter sui ipsius prohibita est; ad vitandum peccatum ea licet.

9. Potest ne quis permittere, imò instare amputari membrum ad seruandam vitam? Potest. Ad occisionem sui vult concurrere? Directè non licet; at permittere licet multis in casibus.

10. Fas ne omittere aliquid, vnde mors sequatur? Maximè, & etiam facere, vnde mors indirectè secuta sit, non autem si directè. Licet ne mihi ministratum haurire venenum? Non; aperire autem os, vt infundatur, licet.

11. Quidnam potest auis gerere ad vitam seruandam? Iuste damnatus potest non fugere è carcere. Ad vitam seruandam peccare non licet. Nec tenetur perferre quoslibet cruciatus quilibet. Membrum abscindi potest, ad seruandam vitam. Etiam licitum, non comedere carnes ex constitutione Religionis, nisi esse extrema necessitas; tunc enim, si fame aliàs esset pereundum, teneretur. Pestis tempore fugere potest, qui ex officio obligatus non est, vt Parochus, Magistratus.

12. Iam Homicidij voluntarij aliorum percurrenda materies. Homicidium ne respectu mandantis est voluntarium? Maximè; at si ante executionem mandatum reuocauit, vel fiat contra mandati formam, non ei imputabitur. Porro ratum habens non efficit actum præteritum voluntarium. Qui de conuente? Voluntariè concurrat. De adiuuante? Etiam si intendit homicidium, dicitur ei voluntarium. De non impediente? Tunc dicitur voluntariè concurrere, cum habet et illius intentionem.

13. Mors obueniens alteri ex meo maleficio tribuitur ne mea voluntari? Non, nisi ea intentione actum sit, vt ea obueneret: etiam si alioqui aduertatur securura. Nec satis est dam-

H AUIA

S. 3.
Homicidij voluntarium.

num sola voluntate intendi; sed necesse etiam, ut hæc actio exterior soleat esse causa talis damni.

14. *Mors secuta est ex tuo animanti: imputabitur tibi? Si graui mea negligentia secuta est, mihi iure imputabitur: secus si non fuit in diligentia defectus; & quoties culpa abest, in conscientia minimè tenemur.*

§. 4.
Abortus

15. *Per Abortum Homicidium explana? Porro Abortus homicidium est imperfectum; eiusque procuratio mortale peccatum semper est; si foetus autem animatus sit, excommunicatio, & irregularitas incurritur.*

16. *Num liceat aliquando abortum procurare? Directè nunquam, siue animatus siue inanimatus sit foetus; indirectè si non animatus aliquando licet, scilicet ad vitam, tuendam, non tamen ad vitandam infamiam, vel periculum vitæ ex criminis manifestatione.*

§. 5.
Homicidium per ludum.

17. *De Homicidio per ludum disquiramus: efficit ne ludus homicidium voluntarium? Ludus, ex quo frequenter mors sequi solet, voluntariè assumptus efficit etiam homicidium voluntarium, si prohibita alicubi agitatio taurorum. Quæ probabiliter indicat fore, ut superetur à fera, non potest se tali periculo exponere, secus qui iam experimento didicit magna se peritia pollere. Funambulorum exercitamenta ideo prohibita, nec iniqua sunt, quia licet artifices huiusmodi luditantes præcipitari assolent, sed magna dexteritate pollentes remotum maximè periculum iustans aspiciunt.*

§. 6.
Homicidium casuale.

18. *De casuali homicidio agendum: quidnam tale homicidium? Quod præter intentionem agentis accidit: duplex planè, vnum omnimodo casuale in se ipso, & in sua causa: alterum in se ipso tantum, at in sua causa voluntarium aliquo modo est. Quod omninò casuale est, peccatum non est, quia nullo modo voluntarium; cum autem in sua causa voluntarium est, seu ob culpabilem negligentiam, seu quia in opere periculoso sufficiens cautio adhibita non fuit, tunc delinqui poterit grauius aut leuius iuxta voluntarij actus grauitatem.*

19. *Num ad restitutionem teneatur, qui casualis homicidij author est? Minimè, quando omnino casuale est; secus si non sit casualis omnino; tenetur enim restituere iuxta culpæ proportionem.*

20. *Quonam modo dignoscemus culpæ grauitatem. Regulas ad tam necessariam materiam exhibeo. Prima est, Dans operam rei licitæ, si mors præter intentionem sequatur, peccat magis, vel minus iuxta negligentiam maiorem, vel mino-*

rem, quam adhibuit, ne mors sequeretur. Secunda, Dans operam rei illicitæ, ex qua præter intentionem secutum est homicidium, plus, aut minus peccat, prout maior, aut minor fuit negligentia, vel maius, aut minus periculum occisionis in illo actu. Tertia, Qui omittit aliquid, ad quod ex iustitia tenebatur, si ex hac omissione sequatur mors alterius, peccat tantum pro malitia omissionis. Quarta, si omisso est rei, ad quam ex charitate obligatur, si ex hoc sequatur alterius mors, peccat iuxta omissionis qualitatem.

21. *Quandam in Confessione homicidij culpabilis explicandum?* Personæ equidem & ratione status Clericalis; & ratione carnalis coniunctionis; & ratione dignitatis Episcopi, aut Cardinalis, ob excommunicationem in Bulla Cænaræ reservatam; & ratione protectionis particularis, venientium ad Curiam, ob eandem causam; ratione damni secuti, ut ex occisione alieni serui. Porro circumstantiæ exprimendæ tres, loci, sociorum, & temporis ob numerum.

22. *De Homicidio ex Duello quidnam?* Duellum quidem §. 7.
est bellum duorum, pugna scilicet duorum ex condicto. *Homicidium ex*
Quisnam sit ob causis? Ob sex præcipue. 1. Ad purgationem. *duello.*
2. Ad ostentationem virium. 3. Ad terminationem litis. 4. Ad
evitandam ignominiam. 5. Ad defensionem propriæ vitæ. 6.
Ad maius malum evitandum.

23. *Quandam licitum duellum huiusmodi?* Ad debilitandum hostem: & ad terminandam litem solùm, cum aliàs per fraudem innocens opprimendus esset; & ad vitam defendendam in aggressionem licet, non alia ratione. Profectò ad purgationem, & ostensionem virium, ad litis terminationem, ad honoris defensionem, & ad evitandum maius malum siue sit vindicativum, siue defensivum, illicitum omnino esse affirmo: fateor tamen licere, cum bellum in duellum resolveretur.

24. *Indica duelli pœnas?* Pro Clericis ultra excommunicationem, est etiam imposita suspensio; pro laicis, & omnibus excommunicatio, aliæque pœnæ temporales. Omne duellum ex condicto, subiectum est pœnis. Vi Tridentinæ haud est reservata excommunicatio, vi autem aliorum est. Prouocantes ad duellum, effectu non secuto, incidunt in excommunicationem, ut etiam acceptantes, spectantes. Spectatores casu non incurrunt, sed qui ex composito.

25. *De bello denique, homicidioque in eo contingenti disse-*

§. 8. *rendum est. Num bellum est licitum? Sua natura licitum planè*
Ex bel- Quidnam ad eius iustitiam requiritur? Indicendi auctoritas,
lo. iusta causa bellandi, & intentio recta. Iustum quidem est
bellum si tale sit probabiliter, quia ex vtraque parte iustum
ex se esse non potest; potest autem ex ignorantia.

26. *Iustè gerens bellum potest ne accipere bona? Potest,*
etiam innocentium: & mobilia sicut occupantium, iure
gentium.

27. *Num homicidia licent? Omnia quidem licent, quæ ad*
obtinendam iustam compensationem necessaria sunt, vel
ad vindicandam iustè iniuriam, vel ad pacem stabiliendam.
Stratagemata etiam licent in defensiuo. Si iustum sit, etiam
obsides occidi possunt, si fidem hostes fregerint.

28. *Num liceat priuatis militibus pradari, aut agros incen-*
dere, vel domos? Minimè sine licentia Ducis. Licet ne in bello
iniusto occidere? Si aggressiuum sit, non licet; si defensiuum li-
situm est.

29. *Quid in dubio iustitia belli? Militare non licet, si ag-*
gressiuum sit: subditis tamen in dubio licet, si à suo Principe
vocentur. Omnes militantes occidere possunt, ciuitas etiam
tradi diripienda, si victoria aliter obtineri non potest.

30. *An capti in bello serui fiant? Ita planè, modò Christia-*
ni inter Christianos exceptentur.

CAPVT III.

Praxis circa materiam de Homicidio ex Docto-
ribus Societatis.

§. I. 31. *L*icet ne occidere Bannitum? Licet quando Respublica
De Ban- dat cuilibet facultatem. Porrò bannitus non potest
nitis ac ex Filiucij tom. 2. tract. 28. cap. 2. num. 24. sententia extra ter-
Banniti ritorium Principis proscribentis occidi; nisi consensus sal-
occiso- tem tacitus, vel rationabiliter præsumptus illius Principis, in
ne. / cuius territorio inuenitur, interueniret.

32. *Potest ne proditoriè, & per insidias bannitus occidi? Af-*
firmat Molina de Iust. tom. 4. tract. 3. d. 7. num. 1. nec obstat
periculum damnationis illius; quia maior ratio habenda
boni publici, quam particularis, qui prospicere potest salutis
à culpis abstinenda. Num bannitus liceat se inuicem occideri?
Licet ad libertatem, aut præmiu acquirendum; quia com-
muni bono expedit.

33. Num possim interficere grassatorem, vias publicas tenentem? Potes in propriam defensionem, & aliorum, quibus ille mortem, & alia damna parat. Sic Molina ubi sup.

§. 2.
De inuasore,
& grassatore.
Molin.
Molin.

34. Inuasorem quis potest licite occidere? Respondet Molina de Iust. tom. 4. tract. 3. d. 11. num. 4. posse aggressum per se intendere mortem aggressoris, quando videt id necessarium esse, ad illius impetum euadendum.

35. Quando am, precor, quis dicitur, aggressorem cum moderate inculpata tutela occidere? Quando aggressorem occidit, non aspiciens illo in conflictu aliam viam, quia iniustum, & graue damnum possit euadere. Damnum graue quodnam? Mors; inuadenti te, vt occidat, licite occidis si non est aliud tua incolumitati remedium. Teneor ne fugere? Non si nobilis, si miles es. At si plebeius, aut talis, cui nulla ex fuga contumelia exurgat: teneris ex charitate fugere. Clericus sum, aut Religiosus. Teneris etiam ex iustitia; quia fugiens non amittis honorem, sed acquiris. Scio Lessium lib. 2. c. 9. dub. 12. n. 86. docuisse, in hoc Clericos pares esse laicis, & tantum teneri ex charitate fugere. Inuasor est pater, auus, frater. Teneor fugere filius, nepos, frater minor; quia horum fuga pietati, non formidini ascribenda. Sic Petrus Hurtado 2. 2. d. 170. fest. 6. §. 136. Addo ignominiosam non esse fugam ebrio, aut amente inuasore: vnde fugere tenemur.

Lessius.
Hurtad.

36. Licet ne occidere eum, qui non inuadit actu, sed decreuit inuadere? Docet Molina de Iust. tom. 4. tract. 3. d. 12. n. 2. posse praeueniri, quando ex aggressionis decreto vita tua periculo maximo capitali est obnoxia; quia non ob id precise licitum est iniustum aggressorem occidere, quod aggreditur: sed quod sua aggressionem alterius vitam discrimini addixit, ita vt non valeat aliter se defendere nisi occidendo. Vnde si iniusto decreto inuadendi, vitam alterius ad huiusmodi discrimen adducat, potest etiam occidi.

Molin.

37. Accedit quis ad me pugionem extracturus ad me occidendam, nec possum aliter mortem euadere. Potes praeueniendo occidere. Reginaldus to. n. 2. lib. 21. cap. 5. num. 57. Maritus contulit sub cervicali pugionem, v. uxorem interseuit. Vxor id certo sciens, & aliud non aspiciens remedium, potest praeuenire, & maritum occidere. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 8. n. 45. Quis alteri venenum preparauit. Potest eodem veneno indultrosè occidi, Lessio authore, si aliud non adest euadendi remedium.

Regia.

38. Scio falsum testem, vel iniquum accusatorem contra iustitiam legalem expandere intendere crimen verum, sed occultum:



licet ne occidere, si ex hoc timeam capitalem sententiam, aut notabilis rerum temporalium amissionis? Bañes asseruit, dummodo prius admonitus nolit desistere, & non sit spes euadendi; quia etiam in crimine vero, quando est occultum deest ius accusandi. At *Comit. de Ast. supern. d. 32. dub. 2. num. 12.* docuit, licet opinio Bañes, spectato solo iure naturæ sit probabilis; ius tamen posituum potuisse id prohibere, & de facto prohibuisse, nec impunis abit, qui accusatorem & testem prætexitu falsitatis, aut iniustæ veri criminis reuelationis necat. Ratio est, quia si talis excusatio admitteretur, omnibus litigantibus homicidiis ianua refereretur. Quis enim pro se iustitiam stare non existimet.

39. Scis miles se iniuste pugnare: licet ne tamen ei militem contrarij exercitus irruentem occidere? Dubius hæret *Molina de Iust. tom. 4. tract. 3. d. 15. n. 5.* quia cum alter miles iustè irruat, non potest miles alter iniuste dimicans se defendendo illum occidere: sicut non possunt delinquentes iustitiæ ministros interimere. Ex aliorum tamen sententia licere est probabile, dummodo miles aggressorem moneat, vt ab irruptione absteineat; quia licet Princeps iniuste militat, miles (coactus plerunque ad bellum) iustè se defendit.

40. Licet ne occidere vitam proximi iniustum inuasorem? Respondet affirmatiuè *Fillius tom. 2. tract. 29. c. 4. n. 54.* quia ex lege charitatis licitè pro alio gero, quod pro me ipso possum. *Cedit inuasus iuri suo.* Inuasor potest occidi; quia inuasus non est dominus vitæ suæ, vnde non potest suo iuri cedere. Sic *Tannerus tom. 3. d. 4. q. 8. dub. 4. n. 80.*

41. Dixisti licere ad vitam defensionem inuasorem tui, aut proximi occidere: rogo, an teneamur? Ita planè, si inuasus sit persona necessaria Reipublicæ, vel Princeps, vel proprius pater, mater, frater, filius, vxor, vel persona ad cuius custodiam quis ex officio, aut promisso, aut contractu obligatur. *Lege Molinam de Iust. tom. 4. tract. 3. d. 18. n. 3. & 4.*

42. Potest ne quis bonorum inuasorem interimere? Bonorum notabilis amissio graue damnum est, ad quod repellendum licet occidere inuasorem; quia bona externa media, sunt ad vitæ, honoris, & status sustentationem: ideo bona externa vita & sanguis hominum appellantur. *Glossa in l. Aduocati, C. de aduocat. diuers. iud.* Vnde defendi possunt sicut & vita cum dispendio vitæ alterius. *Molina sic tom. 4. de Iust. tract. 3. d. 16. n. 1.* extendens doctrinam ad Clericos. *An possit extendi ad Religiosos, cum proprium hi non habeant?* Potest, quia vnusquisque habet ius defendendi non solum propria, sed ea, que possi

possidet in communi. Tannerus tom.3. disq.4. quast.8. dub.4. Tana.
num.77.

43. *Quaesierim, quanti valoris debeat esse res, pro cuius conseruatione possum furem occidere?* Non debet esse res parua, nisi vt defendat fur rem parua, velit repetentem inuadere, vel res parui momenti in se, magna sit in virtute, v. gr. lapis medicus: vel tolleretur cum iniuria. Lessius lib.2.c.9.dub.11. Less.
num. 68. Regulariter autem Molina tom.4. de iust. tract.3. Molin.
d.16.n.7. vnum aureum assignat. Imò non solum asserit, ob vnum aureum, sed ob rei minoris valoris defensionem posse te irruentem in latronem occidere. Ratio est, quia cum irruit latro, non solum rem, quam arripere curat, sed & vitam, cui praesumis iuste insidias parari, defendis. Nisi autem latro iniuriosus irruat ob rei parui momenti defensionem eum non licebit interimere.

44. *Licet ne inuadentem res proximi necare?* Responder affirmatiuè Molina ubi supr. d.18. num.1. sicut de vitam pro- Molin.
ximi inuadente affirmarat. *An teneatur?* Idem Doctor in priuato homine, & qui ad hoc non est deputatus ex officio abnegat, tantam charitatis adesse obligationem, vt ad defendenda bona proximi longè inferioris ordinis, quam vitam, teneatur inuadenti vitam temporalem, & plerumque aeternam auferre.

45. *Licetum ne Religioso, occidere calumniatorem grauius erimina de sua Religione spargentem: sicut licetum est cuilibet pro tuendo honore cum moderamine interimere?* P. Amicus, Amic.
(cuius octo de cursu Theologico volumina, nuper ad meas venire manus) tom.5. de iust. d.36. sect.7. num.118. non audeat affirmatiuè sententiæ hærescere, ne communi aduersari videatur. Attamen sic arguendo gratia roborauit. Si laico (ait) propter honorem & famam hoc licetum est, multo magis videtur licere Clerico, & Religioso: siquidem professio, sapientia, & virtus, ex quibus hic Clerici, & Religiosi honor progignitur, sunt maiora, quam dexteritas armorum, ex qua honor secularibus nascitur. Tum licetum est Clericis, & Religiosis in tutelam suarum facultatum furem occidere, si alius modus non suppetat: ergo & in tutelam honoris.

46. *Aggreditur quis virum nobilem, seu alapa, seu baculo percutere: licebit ne ei occidere prius aggressorem?* Affirmat Lessius lib.2. cap.9. dub.12. num.77. quia maximum in Less.
aliquibus Religionibus dedecus est, alapas vel baculi verbera absque vindicta relinquere. Limite tamen sententiam

ad viros nobiles; plebeis enim alapa & verbera parum sunt dedecori.

- §. 3. 47. *An liceat post impactam alapam percutientem in se De occi- qui, & interimere? Aliqui negant; quia id esset iniuriam sione co- vindicare, non defendere. At Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 12. tumelio- num. 80. licere existimat speculatiue, sed in praxi non con- si. fulendum ob periculum odij, vindictæ, & excessuum, pu- gnarum, & cadum in Reipublicæ perniciem. Alij seclusis Less. his periculis in praxi probabilem, & tutam iudicant.*
- Henriq. *Henricus lib. 14. cap. 10. num. 3. Ratio est, quia quandiu damnum illatum manet in suspenso, semper est locus de- fensionis, vt patet in eo, qui furem insequitur fugientem, ad recuperandum ablatum. Nam quamuis honor non sit apud percussorem sicut ablata res apud furem: potest tamen non secus ac res furtiua recuperari, ostendendo signa excellen- tia, & æstimationem apud homines captando. An non alapa percussus censetur tandiu honore priuatus, quandiu aduersa- rium non interimit?*
- Azor. 48. *Num liceat contumeliosum, seu profanum: Mentiris honorato viro internecare? Negat Azorius tom. 3. lib. 2. cap. 1. Baldel. q. 17. quia verbales iniuriæ verbis possunt repelli. At Baldell. lib. 3. d. 24. n. 24. putat licitum esse occidere contumeliosum; sed in casu, quo aliter arceri non potest; ne detur licentia im- prohibitati, optimos viros contumeliis afficiendi, quam facta acerbioribus.*
- Hurt. 49. *Licet ne aliquando, Mentiris iactitare? Afferit Petrus Hurtado de Mendoza 2. 2. d. 70. sect. 14. §. 117. falsum, seu ve- rum occultum crimen obiicienti posse responderi: Mentiris. At si hoc non sufficit, vt adstantes credant, illum esse menti- tum: obiici ei posse alia vera crimina.*
- Tanner. 50. *An liceat pudicitia inuasorem de meo tollere? Afferit Tannerus tom. 3. d. 4. q. 8. dub. 4. n. 68. quia pudicitia est maxi- mum bonum, & in eius violatione maximum consensus pe- riculum in patiente inest.*
- §. 4. 51. *Quandònam licet occidere Innocentem? Innocens postu- De inno- latus ab inimico minante vrbis excidium, tenetur se ipsum centis oc- inimico tradere, & pro communi bono Reipublicæ mortem eifione, subire. Idque ei potest Respublica præcipere, & renuentem inimico tradere: Imò contumaciter renitentem occidere; Tann. quia tunc non innocens, sed maximè est nocens. Tannerus tom. 3. d. 4. q. 8. dub. 4. n. 54. Fugit quis equester inimicum in- sequentem, videtque in via puerum, aut mendicum iacentem: necessis me, aut eos conculcare, aut ab hoste vulnere lethali affici: quidnam*

quidnam praestare debet? Tenetur possibilem circumspeditionem adhibere, ne noceat; non tamen gradum sistere, & subire inimici manus; quia ius habet ad fugam via publica ineundam, quo non potest ratione iacentis inibi accidentaliter priuari. *Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 59. num. 3.* Aliquis limitat appositè, nisi occidendus foret infans non baptizatus; tunc enim fugiens lege charitatis teneretur mori potius, quàm illum occidere.

52. Licet ne occidere innocentes obsides, si hostes fidem fregerint? Licere *Azor. tom. 3. lib. 2. c. 7. q. 16.* asserit; quia ea conditione dantur, ut hostes fidem seruent. Alioquin ex bello nec pax, nec securitas haberi posset.

53. Scio nullo in casu licere directè se ipsum occidere; quia malum intrinsecè: rogo tamen, an liceat damnato ad mortem, à ministro iustitiae venenum sibi paratum haurire? ne se ipsum occideret? *Comitolus lib. 4. quaest. 10. num. 6.* asserit non licere, quia perinde esset, ac si pugione quis sibi ictum inferret. Nec iudex ad id posset damnare, sed ut mortem patiatur. *Po-* §. 5.
Liceat
sum oc-
cidere.
Comit.

54. Potest ne infirmus medicamina respuere, quando spes salutis adest? In mortis discrimine non potest. At in doloribus grauibus citra mortis periculum potest mortificationis ergo, imò est meritorium. Sumere autem cibum nociuum inaduerterter, aut leuis nocuenti intentione, aut opinione, leue piaculum. *Sanch. opusc. tom. 1. lib. 5. c. 1. dub. 34. n. 7.* Sanch.

55. Tenetur ne virgo, aut foemina honesta patiens morbum, cui non possit medicina sine rubore adhiberi, manus chirurgi subire? Tenetur curam foeminarum admittere, non tamen medicorum, quam plusquam mortem odio habet. *Turr. sum. p. 1. c. 263. dub. 5. concl. 11.* Turr.

56. Scio praegnantem aegrotam periculosè, posse adhiberi medicamina directè tendentia in curationem illius, licet per accidens sequatur abortus: rogo ulterius, an, si de vita matris, ac foetus tu desperatum sit, liceat medico, imò & debeat matri applicare medicamina, eaque primo directè ad ipsius salutem, ac ad foetus abortum? Affirmat *Sanchez de Matrimon. tom. 3. lib. 9. d. 20.* Sanch. *n. 19.* addens, id etiam procedere in dubio, an medicamenta vitam, an verò mortem sint aegrotanti foeminae allatura; quia melius est dubium experiri auxilium, quàm sinere sine remedio deperire.

57. Dubium est, an medicamentum profuturum sit matri,

& nociturum præsumitur foetui: quod quidem certò, aut valde probabiliter sine tali medicamento viuum extrahendum è matre mortua præsumitur: licebit ne dubio illo medicamine uti? Minimè, ait *Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 63.* At *Sanchez citat. num. 17.* putat hunc casum rarò contingere ob matris in filium humorum communicationem. Profectò experti chirurgi opera vidi sæpe è demortua matris vtero prolem viuum extractam.

58. *Quid si foetus animatus non sit? licebit ne abortum procurare ad tuendam vitam, vel honorem alicuius puella prægravantis? Sanchez de Matr. tom. 3. lib. 9. d. 20. n. 11.* asserit in periculo mortis licere, in honoris periculo non licere. Scio doctum asseruisse, hæc duo minimè cohærere; nam simpliciter est in secundo casu, cur non erit in primo? Sanctio hærescimus; quia non sunt gerenda mala, vt bona eueniant.

59. *An licitum, coniugem sterilitatem procurare?* Malum quidem intrinsecè. *Turrianus tom. 2. d. 26. dub. 2. n. 45.* Obiicio *Thomam Sanctium tom. 2. de Matr. lib. 9. d. 20. n. 2. 8. & 10.* asserentem licitum esse foetus non animati abortum procurare, ad matrem agrotantem è vitæ discrimine eripere. Non valet paritas nam in hoc casu foetus aggreditur matrem, & periculum præsentaneum est; quando verò poculum sterilitatis exhibetur, foetus nondum est conceptus, & foeminae, quæ assolet cum periculo vitæ parere, discrimen est remotum. Vnde *Torrelblanca,* existimantis licere foeminae cum vitæ discrimine parienti sterilitatem procurare; ratio infirmatur.

60. *Valde probabile est morituram matrem, & simul foetum, si quoddam remedium non adhibeatur: eo verò adhibito, matrem saltem posse conseruari: potest ne mater illo uti medicamine?* Potest planè ex multorum sententia. Attamen *Cardinal. de Lugo de iust. tom. 1. d. 10. sect. 5. n. 133.* addit matrem debere remedio non uti vel vitæ dispendio, si certum est tali medicamine foetum periturum, quem mortua matre sine illius remedij vsu, probabile est viuum ab vtero abstrahendum, litando scilicet illam vitæ spem spiritali foetus salutem. *Quid si mater sit in peccato mortali?* Non excusatur (ait ille) à procuranda salute spiritali filij, sed potius ad eum finem obligatur, ad procurandum statum gratiæ per contritionem, & sacramenta. Alioquin nec Parochus, nec vllus ex officio teneretur proximo in extrema necessitate spiritali existenti subuenire cum periculo vitæ, si probabiliter timet lethali crimine esse illigatum; quod est absurdum.

61. *Scio abortum facientem, & mandantem, aut consentientem*

lentem post factus animationem, fieri irregularem: rogo, an si dubium sit de factus animatione, irregularitas incurratur? Respondet Præpositus in 3. p. q. 5. dub. 8. n. 58. negatiuè; quia irregularitas punit homicidium, hic autem dubium est, an commissum fuerit.

62. Consultit quis abortum, quem consilij postmodum penitens conatus est retractare: incurrit ne irregularitatem? Si consilium huiusmodi remouere non potuit, quin sequeretur, irregularis remanet; quia verè in homicidium influxit. Sic Lugo.

63. Est fœmina parata sibi necem inferre, ad vitandam prægnationis infamiam: licitum ne ei abortum suadere? Cardinalis de Lugo de iust. tom. 1. d. 9. sect. 2. § 2. n. 43. affirmatiuè respondet, si alio modo non posset ab hac voluntate auerti; quia hoc non esset ad malum inducere, sed ad minoris mali electionem.

64. Dedi abortus consilium, postmodum autem (circa irregularitatis reatum) dubito, an meo consilio fœmina sit mota ad abortum: quidnam præstandum, ut me à dubitatione expediam? Putat Fagundez Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 16. te posse stare dicto fœminæ fide dignæ, cui datum consilium, si asserat non fuisse ab eo motam.

65. Scio, procurantes abortum secuto effectu incurrere priuationem omnia priuilegij Clericalis, & omnium dignitatum, officiorum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, &c. Rogo an huiusmodi pœna reum obligens in conscientia ante iudicis declarationem? Communiter negatiuè respondent Doctores; quia nullus tenetur esse reus, ac proinde sententia reatus declaratoria requiritur. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 26. asserit pœnam inhabilitatis ante sententiam iudicis non obligare, cum hac limitatione, quod si inhabilitatis pœna lata sit solum quoad illud solum numero beneficium, ante sententiam obligat.

66. Quidnam intelligitur nomine priuationis officij? Munus administrationis rerum, vel personarum Ecclesiasticarum cum superioritate. Sanchez in Decal. lib. 6. c. 15. n. 66.

67. Num dari possit bellum vtrique iustum? Materialiter loquendo iustitia vtrique parti fauere non potest, quia indiuisibilis; potest verò formaliter ratione ignorantia inuincibilis: ita vt apud vnam partem iustitia reuera sit, apud aliam præsumatur. Hoc ex Fillucio innui supra.

68. Dixisti Principes debere in bello indicendo rectam adhibere intentionem: rogo, an hæc intentio pertineat ad iustitiam,

Præp.

Silom

Lugo.

Lugo.

Fagund.

Less.

Sanch.

§. 7.
De Bello.

Filluc.

an ad belli honestatem? Non pertinet ad iustitiam; quia si iudex secundum leges. v. gr. reum punit animo vindictæ, non peccat contra iustitiam, sed solum contra charitatem; unde

Palao. non tenetur ad restitutionem. *Palao tom. I. tr. 6. d. 5. p. 1. n. 4.*

69. *Potest ne ex bello iusto Princeps ad restitutionem te-*

Molin. *neri aliquando?* Tenetur planè ex *Molina* doctrina, suis subditis, quoties cum maximo ipsorum incommodo & detrimento bellum aliàs iustum suscipit; quia hoc bellum non undique iustum est. Princeps enim ex iustitia tenetur non solum habere iustam causam bellandi respectu hostium;

Conin. sed etiam subditorum respectu. Unde *Coninch dub. 4. num. 37.* asserit illicitè moueri bellum, si minima spes victoriæ subsit. Caietanus requirit moralem victoriæ certitudinem. At

Pal. *Palao part. 3. num. 17.* putat sufficere certitudinem probabilem. Et *Suarus d. 31. de charit. sect. 4.* spem damnis, que timentur, maiorem.

70. *Debet ne Princeps dispendia belli, & oppressiones populi ex eo profluentes ex aquo in subditos distribuere?* Ita planè; quia cum bellum susceptum sit in bonum commune, communibus quoque incommodis est gerendum. Si ergo vna Regni, aut Prouinciæ pars milites hospitando, &c. præ aliis grauata fuerit, tenetur Princeps ea grauamina compensare.

Conin. *Coninch d. 31. dub. 7. n. 68.* Limitat *Layman. lib. 2. tract. 3. c. 12.*

Laym. *n. 18.* nisi consuetudo loci obtineat, vt hospites militibus seruitia, nempe habitationem, paleas, &c. gratis exhibeant; nam hic grauaminis excessus per accidens esset.

71. *Differt Princeps stipendia soluere, quo milites expilare innocentes coguntur, &c. ad quidnam Princeps teneatur?* Si culpate id fiat, omnia debet damna, titulo iniustæ retentionis restituere & militi, & innocentibus expilatis. *Palao tom. I. tractat. 6. disq. 5. part. 5. num. 2.* Verum (vt *Layman.* adnota;) in bello offensiuo absque Principis culpa contingere non possant; quia Princeps prius cogitare debet, an ad voluntarium bellum inferendum sumptibus sustinendis, & militibus in officio sua autoritate detinendis, futurus sit sufficiens.

Pal. *Palao tom. I. tractat. 6. disq. 5. part. 5. num. 2.* Verum (vt *Layman.* adnota;) in bello offensiuo absque Principis culpa contingere non possant; quia Princeps prius cogitare debet, an ad voluntarium bellum inferendum sumptibus sustinendis, & militibus in officio sua autoritate detinendis, futurus sit sufficiens.

72. *Post bellum inceptum ex causa iusta, offertur satisfactio, antequam ultima pugna incatur: tenetur ne Princeps eam satisfactionem acceptare?* Tenetur ex *Palao* ubi *supr. num. 14.* citante *Suarium, Molinam, Valentiam, & Coninch.* quia bellum ex necessitate suscipiendum est, quæ, oblata satisfatione, iam cessat. *Quidnam iusta satisfationi nomine intelligendum?* Potest Princeps exigere non solum ius iustè prætentum

sed

sed etiam expensas, & molestias belli, & quidquid in posterum necessarium fuerit ad secure, pacificèque viuendum, quia hic præcipuus belli scopus.

73. *Licita ne belli stragemata, & insidia?* Affirmat *Conin.* *ninch d. 31. de bello, dub. 7. num. 109.* quia per se mala non sunt, & ad victoriam sæpe necessaria. Excipio tamen caum, quo fides de non adhibendis insidiis data esset. Addit *Pal.* *tom. 1. tract. 6. d. 5. part. 4. num. 4.* nisi hostis fidem suam ex toto, vel ex parte fregisset. Item nisi circumstantiæ, & rei conditio ita mutetur, vt si fuisset præuisa, promissio secundum prudentis arbitrium facta non esset. *Laym. lib. 2. tract. 3. c. 12. num. 10.* *Laym.*

74. *Licet ne in bello iusto innocentes occidere, infantes scilicet, mulieres, Monachos, Presbyteros, rusticos, colonos, legatos, peregrinos, exteros, mercatores?* Per se non licet; quia nulla pœna iustè addicitur innocenti. Licet verò per accidens, si præter intentio nem directam, id necessarium sit ad consecutionem victoriæ. v. gr. licitum planè oppugnare urbem immittendo iacula, reuellendo, subiecto igne sulphureo turres, &c. licet verosimile sit, innocentes simul perituros. *Pal.* *tom. 1. tr. 6. d. 5. p. 4. n. 9.* monens hæc stare, dummodo semper finis belli habeat necessitatem, vel vtilitatem malo huic præponderantem, quia non licet, quærere proprium commodum cum grauissimo aliorum detrimento.

75. *Licet ne in bello iusto innocentum bona deripere?* Directè minime, sicut indirectè, & per accidens: præsertim si timeatur, per illa bona iuuandum inimicum ad iniustè oppugnandum. Quo in casu etiam rebus Ecclesiasticis licitum est non parcere, ex sententia *Reginaldi tom. 2. lib. 2. c. 8. num. 115.* *Regin.*

76. *Quid de bonis Ecclesiasticorum, qui non miscnt se belli civilibus, nec hostis vitur huiusmodi bonis ad iniustum bellum fouendum?* Haud possunt diripi, seu dissipari, sine irreligionis, & irreuerentiæ in Deum reatu. Imò bona aliorum in Ecclesiam reposita, vt custodiantur, hæc immunitatis privilegio potiri debere, *Pal.* *tom. 1. tract. 6. d. 5. p. 4. um. 18.* *Pal.* *Becan.* *asseruit. Addit Becanus 2. 2. cap. 25. q. 12. num. 7.* inter pacta cum hostibus de damnis restituendis, paciscendum esse, vt restituantur innocentibus (præsertim Ecclesiasticis) quod eorum causa iniustè ab iis fuerit ablatum.

77. *Licet ne innocentes (bello iusto) redire in seruitutem?* Affirmat *Pal.* *tom. 1. tract. 6. d. 5. p. 4. um. 13.* quia sunt partes Reipublicæ *Pal.* *nocentis, quæ contra libertatis dominium habet, potèstque*

Hurt. de ea disponere, vt ipsimet possent, & eorum patres in necessitate. Porro *Petrus Hurtado* 2.2. tom.2. d.164. sect.11. §.107. Turcarum innocentum seruitutem in praxi licitam esse asserit propter DD. auctoritatem, ex qua opinio probabilis redditur; speculatiuè tamen loquendo huiusmodi seruitutem putat illicitam; quia partes totius metaphorici, quibus est distincta voluntas, non possunt puniri ob delictum compartium.

78. Num liceat iusto in bello in pœnam violata fidei obsides innocentes occidere? Affirmatiuè respondimus supra cum

Azor. *Azorio*, id quod ex *Filliucio* tom.2. tract.29. cap.9. num.19. **Filliuc.** roboramus; quia ea conditione dantur, vt hostes in promissa fidei proposito contineantur.

79. Indica belli causas legitimas. A *Ferdinando de Castro Palao* tom.1. tract.6. d.5. part.3. num.3. multæ numerantur. Prima est, vt subditi rebelles ad obedientiam redigantur. 2. Vt recuperetur Prouincia, aut Ciuitas Principi iure debita, & ad bonum commune multum conducens. 3. Ad vindicandam grauem Principi, aut Reipublicæ illatam contumeliam. 4. In ultionem auxiliij inimico iniuste bellanti, suppeditati. 5. Vt repellantur iniuste prohibentes, ne nocentes in bonum Reipublicæ puniantur. 6. In pœnam violati fœderis non sine damno, iniuria, aut dedecore patientis. 7. Ob denegata ea, quæ iure gentium debentur: v.g. transitus per alienam Regionem sine mora, & nocumento. 8. Vt auxilium iustum sociis afferatur. 9. Si populi idololatræ sunt, vel in hæresim, aut infidelitatem lapsi, alios secum trahant, & dissensionem, excitent in Prouincia. 10. Barbaries ob beneficium politix, & disciplinx spiritualis: ita tamen, vt non redigantur in seruitutem despoticam, sed politicam, vt *Petrus Hurtado* tom.2. in 2.2. d.169. sect.5. n.40. adnotauit.

Hurtad. 80. *Requiro, an iustum sit bellum in Republicam, quæ eiuem Principi contumeliosum tradere non vult, ab ipso Principe affecto iniuria, puniendum?* Afferit *Palao* citat. num.15. Principem læsum lædentis iudicem esse directum, ac proinde habere absolutum ius morte eum puniendi, nullamque aliam satisfactionem acceptandi; vnde si Princeps alius nolit tradere delinquentem, posse bello cogi. At *Molina* tom.1. de Iust. tract.2. d.103. addit Principem læsum peccatorum contra charitatem, si recta ratione exigente, & vtriusque Reipublicæ bono, competentem in alijs rebus satisfactionem respueret. Scio *Caninch* dub.2. num.29. illud negare principium: Princeps læsus est per se Iudex personæ lædentis, vnde sententiæ contrariæ adhæsit.

Pal.

Molin.

Conin.

Examen VII. De Homicidio ad Mand. 127

81. Tenentur ne transeuntes per alienam Regionem omnem securitatem facere non nocendi? Tenentur plane. Unde quia ab armatis semper teneri potest, saepe eis transitus iure denegatur. Coninch num. 51.

Conin.

82. Quid si Princeps exteris negotiationem, mercaturam, hospitium, usum fluminum, piscationem corallium, & margaritarum, quae iure gentium omnibus sunt communia? Contra Victoriam negat Palao num. 4. quia nullo iure probari potest, Palao. deberi exteris commercium: & haec omnia in tantum sunt communia, in quantum non prohibentur.

num. iusta hoc
cua belli?
in ferendi?

83. Dixisti, debellari posse populum idololatram. Quoniam modo id, cum nemo possit punire non subditos ob delicta in Deum commissa? Opinantur doctissimi viri bellum ob solam idolatriam bellum posse inferri, praesertim si Praefulis summi accedat autoritas. Fagundez Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 33.

Fagund.

num. 28. ait, infideles, si praeter idolatriam, effrenata tyrannide, humana carnis ingluvie, execrandis innocentium sacrificiis commulantur (de quo Petrus Hurtado tom. 1. 2. 2. d. 75. sect. 1. §. 22.) posse debellari. Reginaldus tom. 2. lib. 2. cap. 8. num. 94. Septem casus assignat, in quibus contra infideles liceat decertare. 1. Si possident terras Christianorum, ut Turcae. 2. Si Christianos afficiunt iniuria, ut iidem. 3. Si Christianos a vera Religione abducunt. 4. Si Evangelij praedicationem impediunt. 5. Si a Christiano Principe eorum domino leges naturae consentaneas recipere, & observare renuunt. Si crimina non solum contra Deum, sed contra proximum perpetrant. 7. Si subditi Principis Catholici in haesim incidant. Becanus 2. 2. cap. 25. quest. 5. tunc haereticos puniri bello posse asserit, quando a fide deficientes, alios in eundem traherent errorem, exemplo Moysi, qui partem populi vitulum adorantis bello adorsus, triginta eorum millia trucidavit.

Hurt.

Regin.

Becan.

§. 9.

84. De Ducum ac officialium belli peccatis tract. 2. differemus. Plura scio innuisse Molinam d. 116. & Laymanum lib. 2. tract. 2. cap. 12. num. 18. Praeterea quaesierim, an liceat Duci permittere militibus civitatis expilationem, vulgo sacco? Licet facere, quando civitas obstinate resistendo id meruit: aut iudicatur necessarium, ut milites spe praedae ad expugnationem excitentur: & aliae civitates, hoc exemplo ediscant non obstinate resistere. Curent Duces milites continere, ne è licita praeda diuitiarum, ad illicitam voluptatum, aliorumque criminum deferantur. Layman. citat. num. 13.

Duces &

officialis

belli.

Molin.

Laym.

Laym.

85. Quorumnam criminum assolent belli alij officiales rei ostentari?

ostentari?

Beccan. ostentari? Respondeo ex *Beccano 2.2. cap. 25. quæst. 15. num. 3.* si comportantes ad exercitum victualia, per avaritiam, aut negligentiam corruptum & noxium cibum offerant. Si pulveri tormentario extraneum admisceant, ex quo ad ministerium suum inhabilis reddatur. Si plus à militibus, quam scriptum sit, exigant pro cibo, potu, armis, &c. Si in designandis hospitibus alicui, ad plures domos schedulas præbeant, ut in vna se recipiat, ab aliis pretium exigat.

Fagund. *86. Licet ne ducibus, ac militibus super naues militantis contra infideles vel hereticos: quando aliter manus hostium fugere non possunt, ignem pulveri tormentario adhibere; ne & ipsi & naues in hostium deveniant potestatem?* Affirmat *Fagund. Decal. tom. 1. lib. 5. cap. 11. num. 14.* quia eo casu dux non intendit per se propriam necem, sed hostis debilitatem, ne præda capta, in eius Regem fiat insolentior, & robustior.

87. Licet ne Episcopis munere Ducum exercitus fungeri? Minimè, quia Clericis bellare interdictum in iure. At quando graues causæ occurrunt, & Clerici bellare possunt, non delinquunt Episcopi exercitum ducentes, præsertim si Pontificis accedat dispensatio.

9.9. De militibus. *88. Scio milites in bello iniusto pugnare non posse: Rogo, an teneantur belli iustitiam examinare? Minimè verò, quia impossibile esset, singulis militibus Principem tribunal erigere, & singulos sententiam expectare communitatis, seu referatis consiliis, quæ plerumque oportet taceri. Bellare itaque possunt, si manifesta eis non sit belli iniustitia, & in dubio pro Principe præsumendum. Quid si postea bellum iniustum fuisse comperiant? Subditi tenentur a bello desistere, & restituere hostium spolia, si quæ habent: aut ex eis facti sunt ditiores. Non subditi verò (ait *Reginaldus tom. 2. lib. 21. cap. 8. n. 104.*) restituere tenentur non solum si iniustitia belli sit evidens; sed etiam si dubia; dum Princeps non restituit.*

Regin.

89. Si bellum sit iniustum, scio secundum quosdam, milites singulos debere in integrum restituere secundum alios pro rata; Rogo autem, si bellum sit iustum, possunt ne retinere milites omnia mobilia, quæ rapere ducibus permittentibus? Possunt, quia sunt inimicorum, fortitudinis verò præmium. Adnoto autem, quando dux militi interdicit spolia in bello iusto, pensandam, esse prohibitionis causam. Prohibet ob commiserationem victorum. Tenentur milites hosti spolia restituere; quia iniuste arripere, non accedente licentia Ducis velut iudicis sententia. Prohibet, ne miles spoliis onustus minus sit aptus ad victoriam perficiendam. Contra venientes, contra obedientiam

tiam solummodo delinquant, nec ad restitutionem tenentur. Ex Pet. Hurtado 2. 2. tom. 2. d. 169. sect. 13. §. 130. Hurt. didici.

90. Quid si præda apud hostes inuenta, sit furtiva? Furtiva stabilia ab hostibus possessa veris dominis sunt à militibus urbem expilantibus restituenda. Mobilia autem, Valent. tom. 3. d. 24. quest. 18. par. 3. auctore, possunt retineri. Quoniam dedere à Cæsareo, non natura, inquit Molina disq. 18. At in omni ratione introductum est, approbante consuetudine: ac proinde iure gentium iustificatur, Saa. v. Bellum, num. 10. Addit Petrus Hurtado 2. 2. tom. 2. disq. 169. sect. 12. §. 119. duo debere in rapina illa concurrere, ut iste à militibus postea expilantibus possit retineri; vnum, ut hostis prædam ad castra deuexerit, & in tuto posuerit: alterum, ut inter apprehensionem, & expugnationem nox intercedat.

Valent. Molln.

Hurtad.

91. Quidnam, & quando possint milites ab hospitibus extorquere? Tenentur restituere hospitibus, apud quos commorati sunt, aut per quos transitum habuerunt, ex iustitia restituere, quidquid ab iis surripuerit: aut præter lectum, lumen, ignem, paleas, & alia, quæ eis debentur ex Principis præscriptione, receperunt: etiam si sponte dedisse videantur, quia re vera ob maioris incommodi timorem tradunt. At si milites ob solutionis defectum, ad extremam, aut grauem necessitatem deuenere adeo, ut aut perire eos, aut cum magno communitatis damno militiam deserere cogantur: tunc ab hospitibus extorquere possunt merè necessaria: compensanda quidem eis suo tempore à principe. Porro ex dilata solutione, seclusa præfata necessitate non possunt. Nec iuuat illos autoritas, vel facultas Ducis, nisi id fiat in iustam nocentium, aut membrorum nocentis Reipublicæ poenam. Coninch. citat. dub. 7. n. 98. Layman lib. 2. tract. 3. c. 12. num. 18.

Conina Laym.

92. Prohibitum ne Ecclesiasticis, aut Religiosis bello interesse? Possunt quidem adesse bello pro ministerio spirituali militum ad consolandum eos, & excitandum ad pugnam: modò non specialiter ad occisionem hortentur, aut hostium mutilationem; quia hæc non repugnant statui Sacerdotali. An Prelatorum debeant habere facultatem? Cum Aegidio Coninch. d. 31. dub. 6. num. 90. respondeo licentiam huiusmodi quoad Clericos seculares non requiri, & iura in contrarium non alata ex arb. reprehensibile, nisi in quo casu, non obstat, quia primò r. prehendentur Episcopi non solum assistentes,

§. 11.

De Ecclesiasticis, aut

Religiosis, qui

possunt

bello interesse.

Conin.

sed vti cæteri milites, decertantes. Secundò autem taxantur accedentes ad Imperatoris aulam, aut ad comitatum absque Pontificis facultate.

93. *Quomam modo exhortantes iusto in bello ad pugnam, in qua homicidia, & mutilationes geruntur, non sunt Clerici ex defectu lenitatis irregulares?* Porro quia suasio illa versatur circa percussionem, & occisionem hostium in generali, dum hortantur ad exitialem pugnam: non autem in particulari. *Suar. de cens. d. 46. sect. 6. n. 8.*

94. *Suppono Clericos, in casibus, quibus iusto in bello vidè pugnant, lethali ter percussendo peccare: num irregulares?* Minimè quia cum bello iusto Ecclesia, & Respublica defenditur, voluit Pontifex eis fauere; ac proinde irregularitate non irretire omnes in eo ad homicidium concurrentes, ne exercitus retardaretur. *Molinat. 2. tr. 2. d. 110. concl. 2.*

95. *Potest ne quis vir nobilis acceptare duellum in nobilitatis defensionem?* Potest, si ex illius recusatione honorem, aut munia publica, esset amissurus, v. g. obicit quis viro nobili innocenti crimen dignum amissione nobilitatis, & munerum, quod nisi ille duellum acceptet, probatum censebitur. Ratio est, quia in tali casu acceptatio duelli, ad tuendam nobilitatem, & munia, medium est vnicum. *Petrus Hurtado 2. 2. d. 176. sect. 8. §. 76.*

96. *Accusator iniustus me calumniis efficit morti addici: litium ne eum ad certamen prouocare?* Ita quidem, si non est alia via iniustæ mortis euadendæ; quia huiusmodi prouocatio locum habet inculpatæ tutelæ. Nihil enim refert, quod accusator non per se, sed per indicem aggrediatur. Ita *Hurtado sect. 9. §. 82.* Addit *Sanchez sum. t. 1. l. 2. q. 39. n. 7.* tali in casu licet accusatorem occultè occidere.

97. *An duellum possit acceptari in temporalium bonorum defensionem?* Potest, si non adest alia via tuendi, siue duellum purgat inum sit, siue non purgatiuum; quia vnusquisque habet ius sua bona tuendi, etiam cum inimici internectione. Adhuc *Hurtado de Mendoza sect. 8. §. 77.*

98. *Num prouocans ad duellum, & in locum conscendens, si pugna non sequatur, excommunicationem incurrat?* Afferit *Filiuc. lincius tom. 2. tract. 29. cap. 8. num. 170.* At *Pet. Hurtad. 2. 2. d. 179. sect. 21. §. 190.* negat; quia Bulla Gregorij XIII. non comprehendit duellatores, nisi pugna secuta. Nec Bulla Clementis VIII. qui de hac re nihil innouauit, & semper venit illo termino; duellum ex composito incuntes. Porro generale est eius poena, quando propter delictum infligitur, non incurritur delicto

Filiuc. lincius tom. 2. tract. 29. cap. 8. num. 170. At *Pet. Hurtad. 2. 2. d. 179. sect. 21. §. 190.* negat; quia Bulla Gregorij XIII. non comprehendit duellatores, nisi pugna secuta. Nec Bulla Clementis VIII. qui de hac re nihil innouauit, & semper venit illo termino; duellum ex composito incuntes. Porro generale est eius poena, quando propter delictum infligitur, non incurritur delicto

delicto non consummato, nisi à legislatore exprimatur, quod hic non contingit.

99. *Incurrit ne ministrans arma, sine quibus pugna non sequeretur?* si duellans absque illis armis à duello desisteret, incurrit Gregorij excommunicationem armorum ministrator. Incurreret etiam si contra pactum duelli quis duellatori arma ministraret, v.g. pistoletum, quando ex pacto solis ensibus esset decertandum; quia hæc est iniqua armorum subministratio in Bulla Gregorij comprehensa. *Quid si non habenti arma amicus commodet: aut habenti inferiora, commodet equalia; vel intra eandem speciem meliora?* Non incurrit; quia hæc non est iniusta armorum subministratio, nec causa duelli, sed amici auxilium, vt cum minori periculo pugnet. Omnia ex mente *Hurt.*

100. *Potest ne Princeps in aliquo extraordinario casu permittere duellum?* Potest, ad maiora incommoda vitanda, *Regin. n. l. d. s. tom. 2. l. 2. c. 7. n. 13.*

101. *Incurrunt ne excommunicationem duelli spectatores?* Ita quidem, nisi quis ex iusta causa interueniret, v.g. officiales assistentes duello permissio, ne concitentur tumultus, aut aliqua iniustitia timeatur. Sacerdos, vt moribundi confessionem audiat. Famulus ferens arma & equum, & chirurgum accersiturus, aut confessarium. Nec qui aspiceret ex occulto, aut eminus; aut qui casu præsens inueniretur. Vel etiam qui duelli conscius, in illud mera curiositatis causa pergit. Quia Bulla damnat spectatores, qui se sponte offerunt pugnae spectatores & testes, cum inter duellantes nascitur iurgium, sic *Mendoza*

en. sect. 21. §. 179.
102. *Quidnam de homicidij aut grauis mali illari consortibus?* Delinquent planè qui iubent, qui consilium adhibet, qui factum ratificat, vel probat vt fiat, qui laudat vt excitet ad effectum, qui defendit, aut defensionem promittit, qui iuuat ad factum, qui non remouet occidendum, vel percutiendum, cum potest, & debet, qui que veritatem innocentis cum etiam potest, & debet, non ostendit.

103. *Num Episcopi qui etiam seculari Principatu fulgent, possint aliquem poenis capitali quatenus sicut seculares, addicere?* Non posse, (ait *Fagundez*) licet possit suis ministris præstandum committere; quia potestas secularis in Episcopo debet cedere spirituali. Potest quidem ex Pontificis dispensatione. *Fagund.*

104. *Suppono iudicem reum non posse à morte liberare, laesa parte minime parcente: num possit, si pars laesa parcat?* Respon-

deo ex eadem supremum iudicem posse; quia non solum est custos legum, sed etiam dispensator: inferiorem autem non posse. Adicio supremum posse etiam parte non parente, rarissimè quidem, ut si reus persona valde Reipublicæ utilis existeret.

105. *Prouocatus quis, & de condicto ad pugnam descendit: teneatur ne ad restitutionem damni ob vulnus aut mortem illatam?*
 Less. Cum Lessio respondeo non teneri; quia prouocans quantum in se erat, in id consensit.

106. *Vulneraui opificem: ad quidnam teneor? Ad impensas in chirurgum faciendas; & ad æstimationem operarum, quibus caruit quandiu ex illo vulnere fuit inutilis ad opificium exercendum. Potest tamen æstimatio molestiæ quam in opificio habiturus erat, deduci. Sic Molina. Num pro vulnere, seu cicatricis deformitate, imò ipsius vitæ iactura vlla pecuniæ compensatio faciendæ? / asquez respondet. Minimè ante iudicis sententiam.*
 Molin. Vasq.

107. *An homicida teneatur ad damnum illatum ex morte occisi creditoribus? Negat Lessius. Imò asserit Molina maritum qui alterum in adulterio deprehensum occidit, non teneri in conscientia restituere damna ex morte occisi secuta, ante iudicis sententiam.*
 Lessius.

108. *Circa duellum requiro, an qui moritur ex vulnere in duello inflictò, sit Ecclesiastica sepultura priuandus? Si viuis discessit à loco conflictus, minimè; quia verba Tridentini cum sint legis pœnalis, vltra rigorem literæ non sunt extendenda.*
 Sanch. Sanctius sic.

109. *Quid si offensus quis ab alio illum prouocet ad duellum, non tamen habeat animum pugnandi, & sciat certamen non secuturum eo quod sit ab amicis impediendum: sed hoc agat ad honorem lesum reparandum? Profectò ex eiusdem Filliucij sententiâ etiam si vterque veniat ad designatum locum, gladios stringant, neuter excommunicationem incurreret.*
 Sanch. Filliuc.

110. *Quis in duello lethaliter percussus cadit in terram, & signa contritionis edit, neque tamen consistere potest, ob defectum Sacerdotis: priuandus ne Ecclesiastica sepultura? Priuandum affirmat Sanchez, ex decreto Tridentini.*
 Sanch.

111. *Quinam præterea ab excommunicatione excusantur? Qui alium prouocat ad pugnam nullo statuto tempore, aut loco. Qui aliquid narrat, quod videt esse posse causam duelli, nisi narret, ut ad duellum incitet. Qui legunt scriptum, quod se aliqui ad duellum prouocant. Qui ratam habet prouocationem,*

tionem, vel pugnam suo nomine factam. Qui orta repente rixa se prouocant ad pugnandum in aliquo loco, ad quem se statim conferunt, & ibi dimicant; quia non adest assignatio temporis. Cuncta hæc ex Sanchez, Comitolo, Fagundez, Saa, & aliis accepti.

112. *Possunt ne famuli scribere epistolam ad duellum prouocantem, si alioquin illis mortis periculum immineret, aut alterius grauis incommodi?* Possunt. Et licet epistolam deferre: Minime, quia id malum intrinsecè. Scio Merollam externum haud improbabilem contrariam reputare sententiam. Sanch. Comit. Fagund. Saa.

113. *Quod attinet ad bellum: potest ne Rex bellum contra alium Regem qui est in possessione, instituere, quando sunt utrinque probabiles rationes?* Sanctius affirmat, cum Vasquez probabili nego. Rursus quæro. Vasq.

114. *An repressalia sint licita?* Sunt planè sex adhibitis conditionibus. 1. Ut non concedantur in Ecclesiasticas personas. 2. Ut manifestè constet ciues alterius Reipublicæ iniuriam fecisse. 3. Ut illorum superiores rogati iustitiam agere recusent. 4. Ut constet eos culpabiliter id recusare. 5. Ut supremus Princeps Reipublicæ læsæ causa cognita concedat facultatem repressalia capiendi. 6. Ut non inferatur plus damni, quàm ad iustam satisfactionem sit necesse.

115. *Circa medicinam denique quæserim, an medicus teneatur applicare medicamentum certum si habet, aut si non habet certum, saltem opinionem probabilem sequi possit?* Teneatur ex Salas sententia ad certum, si habet, ex charitate, & iustitia: si non habet certum, potest opinionem probabilem sequi; quia id applicat quod probabiliter æstimat profuturum: vnde mors secuta minimè est ei imputanda. Salas.

116. *Æger in probabili mortis discrimine versatus, & monitus non curat confiteri, est ne tertia die propterea deferendus à medico?* Sentio cum Sanchez, deferendum non esse: imò affirmo marim medicum non teneri commonefacere ægrotum obstinatum, quando certò credit monitionem non profuturam; nec propterea ægrotum deferendum; quia hoc in casu non obligat constitutio Pij V. Ex materia de Charitate subtraxi Belli tractationem, ut plenam de Homicidio simul redderem doctrinam. Sanch.



EXAMEN VIII.

De Legibus in particulari circa materiam sexti
Mandati Decalogi de luxuria
specialiter.

CAPVT PRIMVM.

De peccatis cordis, oris, auditus, visus & tactus
contra sextum præceptum.

§. 1.
Cordis
luxu-
ries.

I.



DE sensuum delictis faciendum periculum: quoniam modo corde hoc sextum præceptum: Non mox haberi, frangitur? Aut desiderando rem illicitam; quod quidem desiderium ab obiecto speciem desumit, vt si cupis simplicem fornicationem, aut adulterium perpetrare. Delinquitur vterius per morosam delectationem de re mala: si quidem sit de cogitatione tantum sine voluntatis consensu, peccatum non est; debet enim ad hoc, vt sit peccatum mortale, esse perfectè voluntaria: vt autem veniale sit sufficit quælibet negligentia. Porò huiusmodi delectatio eiusdem est speciei cum opere præsentate cogitatio; quidquid alij postea citandi senserint.

§. 2.
Oris li-
bido.

2. Quando nemore grauius aut leuiter delinquimus? Locutio rerum turpium ex se res indifferens est: ob curiositatem tantum, vel leuitatem, sublato periculo, aut alio malo fine, veniale peccatum est; ob delectationem autem est peccatum quale res, de quibus est sermo: si res sint mortales, etiam locutio mortalis erit: si veniales, veniales. Ob delectationem verò ex narratione non excedit venialem culpam; cauenda tamen huiusmodi locutio propter periculum frequenter imminens.

§. 3.
Auditus
& visus
malitia.

3. Quidnam de auditu, aut visu comediarum? Repræsentantes comedias res turpes continentes, vel eo modo vt ad venerem vt plurimum excitent, mortaliter peccant. Porò audientes ob scientiam, ob aliquem bonum finem, non peccant, ob curiositatem, aut leuitatem, venialiter delinquent; ob delectationem veneream ex ipsis consurgentem, vel cum probabili periculo illius, lethaliter excedunt. Id quod de scriben

scribentibus aut pingentibus res turpes, idem de legentibus turpes libros affirmo.

4. *Turpis aspectus malitiam distinguit.* In aspectu equidem duplex delectatio, una rei visæ ob qualitates naturales: & hæc si sit rerum turpium ob delectationem tantum naturalem, omni periculo sublato transeundi ad veneræam delectationem, venialis culpa tantum est: partium tamen generationi deseruentium, practicè loquendo, periculosis aspectus est sub mortali: quia nimia commotio spirituum: nisi leuissimus seu pertransennam talis esset aspectus. Altera delectatio est rei visæ ob delectationem veneræam, vel cum probabili periculo illius, & hæc est mortale peccatum. Aspectus ob curiositatem culpam venialem non excedit, modò periculum omne seclusum sit transeundi ad delectationem carnalem; enim verò si esset aspectus partium, quas pudor velat, vel ipsius concubitus; speculatiuè quidem non damnarim practicè autem sub mortali damnandum existimo ob periculum faciliter transeundi ad illicita: consulatur cuiusvis complexio, & atas.

5. *Quid de ornatu corporis aspiciendo à feminis, seu viris dato sentendum?* Si sit animo, vt quis aut quæ carnaliter admetur, mortale crimen est: si alio bono fine vt maritus, v. g. aut vxor alliciatu, non est peccatum; si fiat non malo fine, sed ob naturalem fastus inclinationem, veniale tantum erit, aut aliquando nullum.

6. *Munera ne repr. banda sub mortali?* Munerum missio ex prauo affectu mortale est; si affectus prauus mortaliter sit: si venialis tantum, solummodo veniale crimen erit.

7. *Venio ad tactum malitiam, qua quidem in pudicitia vocitatur. Distingue tactum qualitate.* Triplices sunt tactus. Primò, in signum amoris, & motu patriæ. Secundò, causa delectationis concubitus. Tertio, causa delectationis ipsius tactus secundum se considerati, vt est delectabilis secundum qualitates naturales. Igitur oscula, amplexus & tactus quicumque ex se, & ex solo obiecto res quædam indifferentes sunt. Si fiant primo modo causa amicitia, liciti sunt, & delectatio inde consequens etiam licita est. Si fiant secundo modo causa veneræ delectationis, mortalia peccata sunt inter solutos (seu non coniuges) siue exerceantur tanquam dispositiones quædam ad concubitum siue tanquam signa, quibus imaginationi repræsentetur idem concubitus, quasi ea ratione fruantur concubitus delectatione. Si autem tertio modo fiant ob solam delectationem sensibilem, non sunt le-

§. 4.
Tactus
turpitudi-
do.

thalia peccata; sed venialia, nisi admisceatur delectatio venerea; practicè tamen vitandi sunt sub mortali, ob periculum adducendi delectationem concubitus, vel venerem. Et quidem antiqui Doctores tactus ob solam delectationem sensibilem non vocant libidinosos: hi enim sunt qui fiunt propter delectationem peccati mortalis in materia luxuria: vnde huiusmodi tactus potius delectabiles secundum sensum tactus, quam libidinosos appellarim. Hinc colligo omnem tactum libidinosum inter solutos mortale peccatum esse.

8. *Quid de tactibus in pudendis?* Ob solam delectationem sensibilem practicè sunt mortalia, pro ratione periculi; & ideo vitandi profus. Quid enim conferat speculatiuè esse licitos, si illiciti prahenduntur in praxi?

9. *Possunt ne aliqui tactus à femina, seu viro permitti?* Cùm quis aut quæ credit honesto amore alterum moueri, permitti possunt; in dubio autem attendendum cuius generis sint, an ex iis, qui palam fiunt, & pudici reputantur, an ex aliis qui tenebras querunt, & impudici.

10. *Quid de tactibus ob solam curiositatem?* Si sint in partibus honestis, venialem culpam non excedunt; in impudicis propriis, probabile, non esse mortalia; in alienis autem præcipuè si alter sit scus, speculatiuè loquendo venialia possunt esse: practicè tamen sub mortali vitandi ob periculum.

CAPVT II.

De septem Luxuria speciebus.

S. I.
Simplex
fornicatio.

11. *Quotnam Luxuria species?* Septem; Fornicatio simplex, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sacrilegium & vitium contra naturam, species quidem morales dixerim, non physicas.

12. *Quidnam est simplex fornicatio?* Concubitus naturalis soluti cum soluta. *In quonam huius deformitas posita est?* In eo, quod ex ea non possit sequi commoda institutio, & promotio prolis ad perfectum statum.

13. *Num mortale semper?* Ita planè, nullo enim in casu est licita ex iure naturali.

14. *An concubitus cum infideli sacrilegium sit?* Minimè, sed fornicatio grauior in eadem specie.

I 5. *Quid*

15. Quid de concubitu cum alterius sponsa de futuro? Non excedit simplicem fornicationem; quia foemina nondum illius viri est.

16. Coitus verò presbyteri, clericus in sacris constituti, aut Religiosi cum soluta sacrilegium ne est? Ita planè; ex vno etenim complice actus specificatur.

17. Quidnam simplici fornicationi addit concubitus? Nihil nisi aut consuetudinem fornicationis cum illa, vel retentionem eius in domo tanquam uxoris.

18. Quidnam stuprum? Concubitus viri cum foemina virgine, quo eius corrumpitur integritas, maximè si per vim fiat. Num soluta sit speciale peccatum à simplici fornicatione? Si ipsa sponte consentiat, non est peccatum speciale speculatiuè loquendo; at quoad mortalem aestimationem est, vnde etiam est stuprum, quando consentit existens sub cura parentum.

§.2.
Stuprum

19. An vir virginitatem amittens speciale peccatum committat? Negatiuè respondeo: aureola tamen amittitur per quamcunque voluntariam pollutionem. Num in virgine virginitatis circumstantia sit explicanda? Quando violatur virginalis integritas, exponenda: fecus si tantum per voluntariam pollutionem etiam procuratam aureola amittatur.

20. An ad stuprum requiratur foeminam sub cura parentum adesse? Minimè; quia moraliter loquendo, non habet foemina sui corporis dominium.

21. Quidnam adulterium? Luxuria peccatum est, quo fides coniugalis violatur, & fit ad thorum alienum accessus; vnde dupliciter est contra castitatem, & quia fit accessus ad non suam, & quia ad coniunctam alteri per matrimonium.

§.3.
Adulterium.

22. Num peccatum hoc habeat malitiam adulterij, etiam si vir consentiat in sua uxoris concubitu? Ita planè; quia ipsum offenditur Sacramentum.

23. Sufficit ne matrimonium esse ratum? Sufficit; quia licet non fuerit consummatum, iam illa foemina illius viri est.

24. Num exprimendum delictum coniugati cum coniugata? Exprimi debet; quia duplicem malitiam illi committunt.

25. Potest ne adulter petere debitum ab uxore? Potest antequam, citra actionem.

26. *Exprimendus ne est coniugij status etiam in peccatis contra naturam?* Exprimendus quidem ob iniuriam thori.

§. 4. *Incestus.* 27. *Quid incestus?* Luxuriae peccatum cum consanguinea, vel affine intra gradus prohibitos, grauius peccatum adulterio.

28. *Gradus consanguinitatis differunt ne specie à gradibus affinitatis?* Si comparentur gradus cuiusque inter se, probabilius est distingui, saltem quoad prohibitos iure naturae: qui verò humano iure tantum prohibentur, non videntur specie differre. Inter affines autem primus gradus specie differt, non in reliquis.

29. *Intra quem gradum est copula cum consanguinea sponsa?* Incestus est intra primum gradum: vt etiam cum consanguinea vxoris, vsque ad quartum, etiam si matrimonium tantum ratum sit.

30. *Num inter tutorem & pupillam incestus, vel inter Confessarum & poenitentem?* Minimè, nisi metaphoricè. An in peccatis contra naturam incestus malitia? Ita planè.

§. 5. *Raptus.* 31. *Quid est raptus?* Peccatum luxuriae, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad turpem actum cum ea exercendum.

32. *Num sponsa de futuro raptus sit?* Non est raptus si abducatur illa ad consummandum cum ea matrimonium prius ratum: at si ad turpem actum exercendum, raptus erit.

33. *Quotnam raptoris poena?* Dux praecipue: Vna, vt raptor alienae sponsae publica poenitentia multetur: altera, vt sine spe coniugij maneat.

§. 6. *Sacrilegium.* 34. *Sacrilegium sexta species luxuriae quidnam?* Peccatum luxuriae, quo persona Deo sacra, vel locus per actum venereum foedatur. *Quot modis potest sacrilegium huiusmodi contingere?* Quatuor. Primò, si persona sacra consentiat, vel delectetur deliberatè de venereo. Secundò si persona non sacra in actum venereum cum persona sacra consentiat. Tertio, si vtraque sacra sit. Quarto, si venereus actus fiat in loco sacro illicitè, vel licitè in coniugatis absque necessitate.

35. *Habens votum solenne, & simplex, satisfacit ne, si vnum in confessione exprimat?* Ita planè, sicut & Religiosus in saceris; quia vnum specie sacrilegium committunt.

36. *Persona sacra cum sacra quotuplex sacrilegium?* Duplex planè. *Committitur ne sacrilegium per desiderium libidinosum, vel turpem actum in loco sacro?* Minimè.

27. *Quidnam*

37. *Quidnam autem loci sacri nomine intelligitur? Locus* quicumque publicus Episcopi auctoritate consecratus. Dormitoria non sacer locus, nec sacristia, nisi celebretur in ea.

38. *Possunt ne cum sacrilegio alia luxuriei species copulari?* Ita planè, nempe Incestus, Stuprum, Adulterium, &c.

39. *Quidnam est peccatum contra naturam, quod speciei se-* §. 7.
prima locum obtinet? Actus omnis, ex quo humana generatio Contra
sequi non potest; grauiissimum quidem inter peccata luxuriei natu-
delictum. ram.

40. *Quotnam species huius criminis? Quatuor.* Mollities, Innaturalis concumbendi modus, Sodomia, Bestialitas. Scio probabile esse omnes esse vnius speciei, sed in has distingui probabilius assero.

41. *Quid est mollities? Qua quæritur voluntaria pollutio* extra concubitum, causa venereæ delectationis.

42. *Ea qua in somnis accidit, est ne peccatum? Secundum* se minimè, ex causa antecedenti esse potest, si sit ex tali decubitu apposita ex intentione ad hunc finem, vel deliberatè quis in eam consentiat, de eaque delectetur, ob delectationem veneream inde secutam.

43. *Quid de ea, qua in vigilia contingit? Si ex causis natu-* ralibus exoriat, ut complexione, visione, ex contactu necessario rerum venerearum, equitatione, & similibus, & sit præter intentionem, nullum est peccatum, modò non sit probabile periculum deliberati consensus in illam; quare operam dare causæ, ex qua præuideatur secutura pollutio, si quis possit, & teneatur eam auferre, peccatum erit: si habeat autem ius ad causam, ut ad hauriendum merum, &c. non tenetur auferre. Porro possunt cum mollitie alia peccata interuenire cogitando in alias luxuriei species.

44. *Quidnam est innaturalis concumbendi modus? Per quem* vir, seruato sexu, & debito vase concumbit cum fœmina modo indebito, ita ut impediiri possit generatio per effusionem seminis extra vas. Multis modis id præstari potest, omnes tamen valent exerceri absque peccato mortali, si absit periculum impediendi generationem: imò à peccato veniali modus hic potest liberari, si propter ægritudinem, aut aliam rationem vir aliter non potest accedere.

45. *De Sodomia quid dicendum? Duplex est, quedam im-* perfectior, qua seruato debito sexu, non seruatur debitum vas; graue peccatum, sed ob quod pœnæ non incuruntur, Ciuili, vel Canonico iure constitutæ. Altera perfecta, qua ex affectu

affectu ad^m debitum sexum vir decumbit cum viro; quare proprie Sodomia constituitur ex affectu ad personam indebiti sexus: ad incurrendas autem pœnas exigitur consummatio venerei actus in vase indebito. Hinc colligo coniunctionem scœminæ cum scœmina esse quidem Sodomiam perfectam ex affectu ad personam indebiti sexus; propterea minimè pœnas incurrere debere; quia non adest, nec adesse potest consummatio venerei actus indebito vase. Verùm non ultra progredi huius affectus malitiam reor, ac si vir accederet ad puerum facie ad faciem tanquam ad scœminam, &c.

46. *Quid bestialitas?* Qua cum re animata sentiente concumbitur non eiusdem speciei cum homine.

47. *Quid de commixtione cum dæmone?* Etiam est irreligiositas quædam & superstitio: & licet semper sit eiusdem speciei, ex affectu tamen ad virum, vel ad scœminam, in cuius forma Dæmon apparet, esse potest etiam fornicatio, vel Sodomia.

48. *Ordinem horum delictorum gravitatis expendere.* Minimè gravis est mollities; tum innaturalis concumbendi modus intra vas, ita ut generatio possit impediri, terribè concubitus cum scœmina extra debitum vas; quartò Sodomia, quintò bestialitas. Hinc nonum præceptum etiam expositum habes.

CAPVT III.

Praxis circa sextum mandatum ex Societatis IESV Doctoribus.

§. I. 49. **R**ogo, an concubitus hic hominis soluti cum muliere soluta possit fieri sine peccato mortali? Peccatum quidem est, sed dari posse de eo inuincibilem ignorantiam Tannerus 1. 2. d. 2. quæst. 9. dub. 1. affirmat; quia naturalis commixtio est.

Tann. 50. Num scœminam pati vim, si repugnet conitu, clamoribus, mortaliter delinuat? Afferit Tanner. q. 1. dub. 3. n. 56. non esse peccatum. Addo meritorium actum huiusmodi animi contra voluptatem, & brachiorum contra vim renitentiam.

51. Potest ne scœmina ob timorem mortis vim pati in pudicitiam, suspendendo consensum? Aliquis ex externis asseruit; quia merè passivè se habens, & nolens consentire, non tenetur mori, aut infamiam pati. At tamen cum

Salas. 1. 2. tom. 1. tract. 3.

tract. 3. disp. 3. sect. 1. n. 31. minimè licere, quia exponere se periculo consentiendi est intrinsecè malum, præcepto negatiuo prohibitum, quod obligat in omni euentu, & cum quouis incommodo.

52. *Stuprum, seu virginis fœmina repugnantis deflorationem consequi scio obligationem, stupratam in uxorem accipiendi, vel De stuprum decenter pro suo statu dotandi. Rogo, an si non vi, aut dolo, sed pro importunis precibus, ac vehementibus blanditiis paruit fœmina, dicendum sit vi corruptam ducendi, aut dotandi obligatione teneri?*
Communitè affirmant Doctores. Attamen probabile reputat Turrianus 2. 2. d. 30. dub. 1. nu. 15. hominem de sola vi, in dolo teneri, quia preces, & blanditiæ non minuunt, sed augment potius voluntarium: nisi procedant à persona cui puella reuerentiam debeat exhibere.

53. *Interuenient matrimonij promissiones, certum est teneri virum eam ducere: Rogo autem, si promissio uerit facta, an teneatur?* Ita planè, si virgo fictionem ex viri nimia exaggeratione calere non potuit. Aliqui enim ita promittunt, ut nisi nimium stulta sit fœmina, fictionem facile possit agnoscere. Liberatur quidem ab huiusmodi obligatione vir longè nobilior, & opulantiior, si puella sciuit; & secundum aliquos etiam si ignorauerit. Sanchez de Matr. tom. 1. l. 1. d. 10. Profectò Præpositus fictum promissorem à nuptiis excusat 3. b. q. 9. dub. 4. n. 46. quia promissio ficta non parit obligationem, cum damnum illatum potest pecunia reparari. At non auderem à communi prima sententia recedere.

Sanch.
Præp.

54. *Potest ne obligatio ducendi, aut dotandi aliquibus ex causis cessare? Quibus de causis dissoluuntur sponsalia, dissoluitur etiam huiusmodi obligatio promissionis, manente solummodo obligatione compensationis pecuniariæ. Quæ quidem etiam cessaret, si vir non virginem deprehendisset.* Sanchez citat. At quocumque ex capite obligatio contracta sit, cessat, si puella postea nuptiis æquè commodis diligeretur, ita ut nihil detrimenti sustineat. Lessius l. 2. c. 10. dub. 2. n. 11. *Quid si quis fictè promisit, sciens esse corruptam? Probabile est, non teneri ducere, sed solummodo pecuniam soluere.* Lessius consulatur.

Sanch.

Less.

55. *Franciscus voto Religionis adstrictus sub vera promissione coniugij virginem violauit: quidnam præstandum? teneri ne voto, an promissioni satisfacere? Respondet Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 4. num. 32. teneri ad matrimonium; quia obligatio promissionis coniugij cum defloratione, cum sit iustitiæ, soluit obligationem voti, quæ est Religionis. At*
Layman.

Less.

Layman.

Laym.

Layman. l. 5. r. 10. p. 1. c. 2. n. 5. putat ad votum teneri; quia promissio facta puellæ post votum non tenet; Deus enim in corpus illud dominium iam per emissum votum acquisierat. Tenetur saltem puellam ducere, ratione damni illati, sicut qui deflorasset absque voto, sub ficta conjugij promissione? Non, quia qui fictè promittit, tenetur promittere ex animo: qui verò promittit post votum, promittere non potest.

§. 3.
De adul-
terio.
Less.

56. *An maritus possit tuta conscientia uxorem comprehensam in adulterio interficere?* Aliqui ex externis asseruere, quorum sententiam Lessius l. 2. c. 9. dub. 5. n. 16. probabilem iudicauit, quia in l. merito ff. de adulterio, & in l. Gracchus, eodem titulo, maritus instituitur iustitiæ minister, eique datur facultas eam occidendi, non secus ac post causæ cognitionem, & sententiam latam, datur carnifici. At tanti viri venia, falsam reputari illam opinionem; quia c. inter hæc Nicolaus Pontifex asserit non licere secundum leges Ecclesiasticas uxorem adulteram interficere.

57. *Potest ne saltem maritus dimittere uxorem propter occultum adulterium, quod probare non potest;* Ita planè, scandalo excluso; quia licet in c. significasti, & c. parro, de diuortio, prohibetur diuortium ante Ecclesiæ iudicium etiam in casu adulterij; tamen hæc lex in fraudis presumptione fundatur; qua cessante, etiam in particulari cessat. Et cum probationis defectus non sit ex culpa sua, sibi potest ius dicere, & fugax uxorem derelinquere. *Rebellus parti. 2. lib. 2. quest. 17. num. 2.*

58. *Quis separatur ritè ab adultera, aut quæ ab adultero viro separatur: postmodum emendata coniux, aut maritus emendatus sæpe & instanter petit rursus thoro admitti; negante uxore, aut marito: potest ne illa ingredi Monasterium? Potest ne ille Ordines suscipere?* Ita planè, quia non potest alter alterum cogere coniugem, vt de suo statu incertus perpetuò maneat. *Coninch. de sacram. d. 35. dub. 5. concl. 4. num. 26.*

59. *Accipit vxor lucrum ex adulterio; tenetur ne marito restituere?* Affirmat Molina de iust. t. m. 1. tract. 2. d. 94 quia ipse est dominus actuum conjugalium vxoris. Nisi accepisset ab eo, qui alienare non potest, vt Religioso, aut filiofamilias. Id autem vxor secretò gerere tenetur, ne suæ famæ deroget. At Lessius l. 2. cap. 10. dub. 6. n. 46. contrarium probabilius docuit; quia iniuria adulterij non est pecunia compensabilis, & mulier quamuis ex fornicatione illicitè acquirat, licitè retinet acquisita.

6. Supponit quis filium ex adulterio inter legitimis uxoris adultera alendos, addicendos hereditari: ad quidnam teneatur? Non solum debet alimenta, sed & damnum hereditatis restituere, quæ legitimis filiis adimitur: seu, si foemina sit, damnum dotis, quam tradidit vir existimans propriam filiam esse. Sic Lessius lib. 2. c. 10. dub. 6. n. 46. addens foeminam adulteram etiam teneri simul cum adultero. Scio tamen alios probabiliter asseruisse solam adulteram teneri, quæ prolem supposuit; quia adulter non est causa proxima horum damnorum, sed remota.

61. Quis in adulterio deprehenditur, à marito adultera inuaditur, illum cum moderamine inculpata tutela occidit: teneatur ne damna ex nece illa obuenientia resarcire? Affirmat Rebellus 1. 2. lib. 3. n. 12. quia ipse illum per adulterij iniuriam prouocauit. At Lessius lib. 2. cap. 9. n. 17. negat; quia habuit ius illum occidendi, vt se defenderet: & ille non habuit ius eum inuadendi.

62. Quoniam in gradu incestus cum consanguinea uxoris priuat virum à iure debitum petendi? Comitulus lib. 1. q. 138. n. 2. ultra secundum gradum extendit. At alij ex nostris in primo & secundo gradu impedire asserunt, in alijs minimè; quia de iis Canonicum non disposuit.

63. A quoniam vir ille incestureus potest dispensari ad petendum debitum? Ab Episcopo, vel à confessario regulari deputato à superiori Monasterij specialiter (quæ deputatio durat ad libitum superioris, & per eius mortem expirat) in sacramento confessionis, & in Religionis domibus & Ecclesijs tantum. Idque ex quodam priuilegio concessio Monachis Monasterij S. Benedicti Vallisolerani. Nostræ Societatis confessarij dispensant ex priuilegio specialiter à P. Prouinciali communicando. De illo autem Benedicti Monachis priuilegio agit Lezana tom. 1. v. affinitas n. 4. §. 5.

64. Scio omne peccatum contra votum esse sacrilegium: Requiram, an si quis ad franandam libidinem simplici se supra solum voto illiget, duplici piaculo inhiatur? Vnico actu ea vota violare vnicum crimen est; quia eandem Religionis virtutem violauit.

65. Scio, attactus manuum in chreis secundum consuetudinem non esse illicitos, sicut nec oscula urbanitatis gratia, ubi huiusmodi consuetudo viget: rogo num foemina agnosceus vnum aut alterum non sint honesto geri, teneatur aut osculum, aut manuum controuersionem abnegare? Minimè, dum proprii contentus periculum abest; quia actio illa indifferens, accidentaliter

- Filliuc.** taliter deturpatur à complice. *Filliucius tom. 2. lib. 30. cap. 10. num. 198.*
- Fagund.** 66. *An inter coniuges quilibet tactus sint liciti, quaecumque oscula?* *Fagundez tom. 2. in Decal. tract. 30. ap. 10. n. 195.* affirmat licere, quoties non adest pollutionis periculum. Ego à piaculo veniali non excuso propter mollitudinem nimiam speciatim in obscœnis indicatam.
- Sanch.** 67. *An mortiferum, virile membrum in os uxoris immittere?* *Negat Sanchez tom. 3. de Matr. tom. 2. lib. 9. d. 17. num. 15.* At cum aliis audirem oblicere tanto Doctori id non esse simpliciter osculum pudendorum, sed quendam ad peccatum diuersæ speciei, id est, præposteram venerem ausum. Vnde
- Fagund.** *Fagundez asserit tom. 2. in Decal. lib. 6. cap. 3. num. 59.* lethale piaculum.
- Sanch.** 68. *Pono coniuges tactibus libidinosis, aut osculis dare operam, vel ad excitandum & conseruandum conjugalem amorem vel ad copulam excitandam: rogo, an sit licitum, si cum periculo pollutionis, aut cum pollutione fiat?* *Certè Sanchez d. 45. num. 35.* asserit licere, dum periculum pollutionis accidit ei, qui nec oscula petit, neq; tactus: sed passus est. Item dum qui petit, præter intentionem polluitur; quia vterque dat rei licitæ operam, à qua ob pollutionis periculum non tenetur abstinere. At *Præpositus in 3. part. quart. 6. dub. 25. num. 186.* affirmat non licere; quia periculum hisce in casibus potest per legitimam copulam præueniri, vel non potest. Si potest, ille, qui motum sentit, tenetur eam petere sub mortali. Si non potest, tenentur ab illis tactibus abstinere etiam sub mortali; quia fini matrimonij repugnant. Subscribo, quia hisce in materiis cautè agendum.
- Sanch.** 69. *Ex minima non seminat in copula: potest ne postea se manibus, aut motu corporis prouocare?* *Affirmatiuè respondet Sanchez de Matr. tom. 3. lib. 9. d. 17. num. 12.* quia quamuis semen mulieris ad generationem non sit necessarium, multum tamen conferre medici asseruere. Vnde prouocatio illa dici potest maritalis copulæ complementum.
- Præp.** 70. *Vir copulam inceptam ex morbo, aut alia causa interrumpit: est ne mortalis pollutio extra vas inde sequita?* *Si non intenditur, & si fit sine consensus periculo, minimè; quia ex opere licito sequeretur. Præpositus q. 74. art. 10. dub. 1.*
- Less.** 71. *Potest ne fornicarius ab actu retrocedere etiam post semen missum à femina, & cum periculo contra vas seminandi?* *Potest, si ex penitentiæ gerat affectu, aut infirmitate. Lessius lib. 4. c. 3. auv. 7. n. 55.*

72. Licet ne medicamentum sumere, ad conuertendum seman in alium humorem, ut licitè possit profundi? Afferuit Sanchez Sanch. d. 17. num. 15. Sed alij abnegant; quia huiusmodi emissio repugnat eius institutioni.

73. Licet ne in coniugij absentia verenda propria libidinose atrectare? Existimat Præpositus quest. 9. dub. 26. num. 188. Præp. non esse mortale, si huiusmodi tactus ad illicitum actum non referantur, etiam si adsit pollutionis periculum; quia licet non referantur actu, tamen ordinantur sua ex natura ad conjugalem actum. Approbat Gaspar Hurtado de Matr. d. 10. Hurt. dif. 10. num. 49. Porro Vasquez contrarium asseruit, quia malum intrinsicè, quem secum propriam libidinem explere, aut saltem explendi subiacere periculo.

74. Licita ne oscula, & tactus inter sponfos de futuro? Hur- Hurr. tado citat. num. 48. illicita asseruit; quia inchoatio contra- ctus non transfert dominium rei, & qui non habet dominium non potest cõuti, ne inchoatè quidem. Attamen Sanchez Sanch. d. 46. num. 50. & alij multi affirmant licere, si adsit pollutio- nis & consensus in rem illicitam periculum; quia sponsalia tanquam inchoatio matrimonij iustificanc tactus & oscu- la, quæ sunt quædam conjugalis copulæ inchoatio. Tactus inquam, qui non sint nimium impudici, hi enim semper interdiciuntur ob nimiam commotionem. Salas 1. 2. tom. 2. Salas. quest. 74. tractat. 13. d. 6. less. 26. num. 117. pudendorum

permittit aspectus, quia non tantam habent connexio- nem cum copula, quam tactus. Ast ego semper hanc sen- tentiam, ob commotionis immoderantiam, improbabi- lem iudicavi. Sanchez citatus ait licere oscula & tactus ex- ternos, etiam si secutura pollutio prævideatur, dummodo adsit iusta causa sponso, scilicet ad vitandam inurbani- tatis, seu austeritatis notam. Porro alia adsunt ab- legandæ notæ huiusmodi documenta, & ideo illicitam esse dixerim tam obnoxiam periculo demonstratio- nem.

75. Mortalia ne oscula & amplexus, aut manuum contrec- tatio inter solutos? Aliquis doctus distinxit. Aut delectatio, quæ in osculis, & amplexibus sentitur est merè sensualis consistens in proportione obiecti ad sensum tactus: & non est aliud quàm delectatio de re blanda, tepida, leni, tene- ra, &c. absque alia delectatione turpi: aut est delectatio coniuncta cum commotione carnis, & spirituum genera- tioni inseruientium. Tactus (ait ille) & oscula cum priori delectatione non esse libidiosa & mortalia; cum posteriori

autem & libidinosa, & mortalia proculdubio esse. Equidem cum *Sanctio summ. tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 12. Baldello tom. 1. lib. 3. d. 14. n. 4.* & totius iam Societatis schola asseruerim totum id, quod in re venerea paruitas materiæ olim poterat vocitari, esse sub mortali illicitum. Res venerea est? nunquam est parua.

§. 7. *De pollutione.* 76. *Dixisti, pollutionem & voluntariam, & inuoluntariam esse; hanc accidere in somnis, aut in vigilia præter voluntatem illam fieri homine consentiente, & vocari mollitem: quaerim, an procurari possit, ad vitandum aliquod graue salutis detrimentum?* Aliquando *Sanchez. de Matrim. tom. 3. lib. 9. d. 17. num. 17.* docuit licere medicamentis, imò fricationibus, ad vitanda venenosa accidentia, & detrimentum salutis, quod ex semine corrupto timetur; dummodo constet saltem probabiliter, semen esse corruptum, & absit in delectationem consensus: quia semen corruptum verum semen non reputatur. At re attentius considerata, doctissimus, ac castissimus Pater ab illa se opinione retraxit in *sum. tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 22.*

Sanchez. 77. *Peccat ne, qui dans operam rei licite patitur pollutionem?* Minimè; quia actio illa per accidens in pollutionem influit. Hinc colligo non teneri quem abstinere à calidis cibis, ab equitatione, à tali accumbendi ratione, quibus expertus pollui, non tamen consentire: licitum esse chirurgo verenda infirmi contrectare, si dum adest pollutio, abest periculum consentiendi: Confessarium non teneri à fœminarum confessionibus abstrahi, nisi polluendus periculo consentiendi subiaceat. Ex doctrina *Vasquez. 1. 2. tom. 1. d. 11. num. 9.* *An pollutio prouisa ex tactibus licitis iuxta patriæ consuetudinem, sed non intenta, est ne peccatum?* Non, si absque consensus periculo fiat; ad inurbanitatis vitandam suspensionem. *Sanchez de Matrim. tom. 7. lib. 9. d. 45. num. 8.* Pono opus esse illicitum, sed non in genere luxuriæ: & rogo, an inde sequens præuisa pollutio sit lethale peccatum? v. g. peccat quis mortaliter in nimio cibo, aut potu, tenetur ne se reum pollutionis sequentis habere? Minimè, si præter intentionem accidit. *Vasquez citat. num. 9.*

Vasq. 78. *Quid si opus illicitum sit in genere luxuriæ, sed leue: v. g. l. uis tactus manus, visio, verba, lectio aliquantulum immoesta?* Pollutio inde præuisa, sed non intenta, veniale solum peccatum est; quia ex veniali causa accidentaliter procedit. *Tann. us 1. 2. d. 4. quest. 8. art. 6. num. 123.* Colligo fœminam que dum confabulatur cum viro sibi, in matrimonium iungendo

Tann.

gendo verba amatoria profert solummodo peccati venialis
rea venialiter etiam peccare, si pollutionem patitur absque
scandalo, & consensus periculo. *Sanch. de Matr. tom. 3. lib. 9. Sanch.*
d. 46. num. 37.

79. *Tam suppono, opus esse mortale in genere luxurie: quòdnam
peccatum erit pollutio sequens? Mortale quidem non solum
in specie luxuriæ, sed in molliciei specie; quia opus illud
per se grauter concurrat in pollutionem. Igitur pollutio ex
aspectibus, tactibus, & cogitationibus mortalibus lethalis
proculdubio est. Sanchez citat. d. 45. n. 30. Sanch.*

80. *Incipit in somnopollutio: an in vigilia sub mortali pia-
culo reprimenda? Afferit Toletus lib. 5. cap. 13. num. 1. quia ho- Tolet.*
mo vigilans perfecta deliberatione, ac libertate potitur. At
Saa 5. Luxuria, num. 10. contrarium docuit; quia pollutio Saa.
inuoluntariè & sine piaculo cœpit: effusio verò in vigilia
illius inculpabilis causæ est naturalis effectus. Admonet au-
tem aprè *Fagundez præc. 3. lib. 3. cap. 6. num. 11. veram esse Fagund.*
*Saa opinionem, quando euigilans certus esset, quod consen-
sum non esset adhibiturus.*

81. *De infando crimine pauca profabimur. Solummodo que- §. 8.*
serim, an circumstantia agentis vel patientis sit aperienda in De Sodo-
confessione? Afferit Card. Lugo de pœn. d. 16. sect. 5. §. 1. n. 243. mia.
explicandam; quia diuersa specie malitia est in agente, *Lugo.*
qui eo tactu impudico se polluit; ac in patiente, qui eod-
dem tactu passiuo solummodo cooperatur pollutioni alte-
rius.

82. *Constat, delectationem morosam esse consensum volun- §. 9.*
tatis in appetitibus illicitis: hunc autem consensum duplicem esse De dele-
possè, expressum, & tacitum; expressum, quando voluntas dele- *ctatione*
ctationes huiusmodi positiuè acceptat: tacitum, quum post per- *morosa.*
fectam aduertentiam, & deliberationem, adhuc homo motus
illos permittit, & quantum moraliter potest ad repellendum eos,
non exercet: Rogo, an sit peccatum mortale non solum quando
voluntas positiuè consentit, sed & quando permissiuè se habet,
non impediendo huiusmodi motus? Afferit *Vasquez 1. 2. Vasq.*
tom. 1. d. 108. num. 2. quia consensus interpretatiuus æquiua-
let formali.

83. *Num morosa delectatio possit specie distingui? vel omnis
delectatio morosa contra castitatem sit eiusdem speciei? Dele-*
ctatio morosa consistens in actu voluntatis efficaci in ordine
ad executionem actus, qui est delectationis obiectum, est
eiusdem speciei cum ipso actu. v.g. delectatio morosa, seu
desiderium adulterij est eiusdem speciei cum adulterio. At si

delectatio non fit cum efficaci ad opus, sed consistit in simplici complacentia, ad speciem diuersam referenda non est quia simplex complacentia de coniugata, non versatur circa adulterium, vt iniuriosum alteri, & sic non contrahit adulterij malitiam. Porro simplex complacentia ad actum externum non progreditur, sed quancunque mulierem respicit vt pulchram, & delectabilem, &c. *Vasquez. 1. 2. tom. 2. d. 112. cap. 2.*

Vasq.

84. *Quid dicendum de circumstantijs persone qua mortali delectatur? an delectatio sacerdotis, v. gr. & delectatio coniugati specie distinguantur? Ita planè, quia prima est delectatio contra Religionem, secunda contra iustitiam. Reginaldus tom. 2. lib. 12. c. 2. sect. 3. n. 13.*

Regin.

85. *An omnis delectatio mortosa sit mortalis adeo, vt paritas materia graui non excuset à crimine? Si est de actu intrinsecè malo, vt futuro, adulterio, &c. mortalis est, nec paritas materia excusat: quia omnis cogitatio venerea, (v. gr.) est*

Lessius.

inchoata pollutio. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 13. num. 109. Si verò actus sui malus solum quia prohibitus aliqua lege positua Delectatio illius mortalis non est, quia lex positua actus internos non prohibet. Vnde delectari esu carniū in die Veneris, non est mortale, nisi versetur circa illum actum vt prohibitum, quod raro continget. Tannerus 1. 2. d. 4. q. 1. dub. 7. n. 137.

Tann.

86. *Est ne peccatum mortale delectatio mortosa coniugii in coniugis absentia, absque pollutionis periculo? Non; quia de actu licito, & in ordine ad actum licitum, qui est copula coniugalis, delectatur. Absentia autem per accidens impedit ne talis copula geratur. Quid si copula cogitetur vt praesens, quando ipsa copula est ipsis illicita ob valetudinis periculum, aut abortum, aut ob quamcunque circumstantiam extrinsecam?*

Sanch.

Asserit Sanchez tom. 3. de Matr. lib. 9. d. 4. num. 21. non esse inter coniuges illicitam huiusmodi delectationem, quia in hisce omnibus casibus copula est licita, & solum illicita per accidens.

87. *Licet ne viduis de prelapsa licita copula delectari: aut sponsi de futuro de futura? Minimè; quia actus externus, de quo delectantur, nec viduis nec sponsis de futuro licitus est. Est autem dispar ratio de his ac de coniugibus circa copulam praeteritam, aut futuram; quia copula huiusmodi coniugibus hic & nunc non est impossibilis, quemadmodum illis. Scio Valentiam tom. 4. d. 6. quaest. 4. part. 4. contrarium probabiliter asseruisse.*

Valent.

88. Circa cogitationes requiro, num sit peccatum, si in cogitationibus veneris voluntas nec consentiat, nec dissentiat potius, sed tantum permisiue se habeat, non impediendo, nec reprimendo motus luxuriet, quos posset reprimere ab his animum auocando? Probabiliter affirmat Sanchez peccatum mortale non esse. Periculosè planè huiusmodi cogitationibus laxabis habenas.

89. Circa verba quaesierim, an peccaret mortaliter qui sceminam sollicitaret sine intentione executionis, ob solam ostentationem amoris; si sciat cerè illam minimè ad assensum alliciendam? Peccat planè; quia ad scandalum illam affert. Quid si tam effrnat & libidinis sit qui sollicitat, tantàque iam infamia circa libidinem laboret, ut nullatenus scemina ad scandalum afferenda sit? Non delinquet mortaliter.

90. Circa opera denique requiro, quandònam scemina vi compressa à viro non peccabit lethaliter? Si habeat firmam voluntatem non consentiendi, & impediatur, quantum in se est, ne sibi vis inferatur, clamore, & nisu corporis: alioquin consentitur. Ita Valentia. Quid si obniti non possit, nec clamare ad vitandam mortem, vel graue incommodum infamiae? Asserit Salas, posse pari externam corruptionem non consentiendi, sed merè passiuè se habendo. Imò cum periculo consentiendi. Attamen quod ad vltimum id spectat, mei Magistri doctissimi venia, ab eius opinione recedo; quod enim malum intrinsecè est, nullo est licitum pretextu.

91. Dixisti tactus impudicos in Ecclesia factos sine periculo pollutionis non habere ratione loci sacri specialem malitiam sacrilegij in confessione aperiendam; quia, ut Sanchez adnotat, Ecclesia tantum, aut emissione sanguinis, aut feminis violatur: rogo num pollutio, aut fornicatio occultiè facta contineat specialem malitiam sacrilegij? Non continere probabiliter Vasquez affirmat; ego cum Suariorum probabilius contrarium teneo, quia licet nullum sit scandalum, tamen loci sanctitas violatur.

92. Coniugatus sui ipsius tactui operam impedit causa voluptatis, extra coniugij actum: num peccat mortaliter? Etiam si periculum pollutionis absit Vasquez, asserit lethaliter delinquere; quia non habet dominium sui corporis in ordine ad venerem secum explendam, sed cum coniuge.

93. Dixisti Confessarium posse confessiones audire cum pollutionis periculo, modo consensus periculum absit, non aliter. Rogo, an pollutio proueniens equitanti necessario, cum consensus periculo, sit mortale? Non sequor Ferdinandum à Castro asserentem; quia qui ex causa (ait) necessaria vel vigente se

exponit periculo peccandi, non peccat, si determinatam habeat voluntatem non delinquendi; est enim tunc periculum illud inuoluntarium. Nec tamen non sequendo, improbabilem ideo tanti viri mei amantissimi sententiam affirmo.

Turriá. 94. *Licitum ne sumere medicinam effusionis seminis pro-uocatiuam? Ex Turriano* respondeo licitum esse, si pollutio non intendatur, sed alius effectus utilis ægrotanti.

95. *Inchoatam dixisti in somno pollutionem, non tenetur qui euigilans reprimere? Quid si gaudeat de illa pollutione: vel optet uenire? Si gaudeat, vel optet non ob delectationem, sed propter sanitatem, vel ad sedandas tentationes, nec peccatum quidem veniale est.*

Bald. 96. *Datur ne in rebus ueneis paruitas materia? Minimè; cum enim nulla sit tam exigua fornicatio, quin sit peccatum mortale, & delectatio sequatur naturam actus: omnis delectatio morosa in hac materia erit peccatum mortale. Baldellus tom. I. lib. 3. d. 14. n. 4.*

Sanch. 97. *Alterius nomine scribit quis litteras, aut defert ad mulierem, quibus ad peccandum inuitatur: delinquit ne mortaliter? Non delinquere affirmat Saa. Cum Sanchez autem grauius peccare asseruerim; quia malum intrinsecè patratiõni delicti dare operam.*

Valent. 98. *Licet ne ex iusta causa locare domum meretrici, vel alicui petenti ad fornicandum? Valentia docet licere; quia locare domum, est res per se indifferens, quæ ex sola praua abutentis intentione ad malum ordinatur. Tamen si expressè dari sibi domum amicus petierit, vt illicitis fruatur optatis, sub mortali negare teneris; quia res iam minimè indifferens.*

Tolet. 99. *Licet ne medico ad pollutionem ciendam medicamina ordinare? Minimè; (vt ait Toletus) quia sicut intrinsecè malum est ipsum ægrotum procurare, licet sit propterea ab egritudine eruendus, ita nec medico operam dare licebit huiusmodi in ægrotante effectum.*

Sanch. 100. *Coniugatus de copula imaginaria cum aliena uxore delectatur, peccat quidem contra castitatem; rogo an etiam contra iustitiam delinquat? Affirmo etiam contra iustitiam delinquere; quia coniux per matrimonium non tantum corpus, sed etiam coniugi obligauit affectus. Ita Sanchez.*

101. *Licet ne rogo rursus Ecclesiasticis legibus uxorem in adulterio deprehensam occidere? Minimè, ob periculum manifestum damnationis occisæ: accusanda potius, & iudicis sententia punienda.*

102. Num Bulla Pij V. contra Clericos Sodomitas obliget in foro conscientia? Henriquez sentit vsu non esse receptam probabiliter, nec in conscientia foro obligare. Quod si vsu recepta sit, Clericus forminam in indebito subigens vasi, non committit proprie Sodomiam; quia licet non seruet debitum vas, seruat tamen sexum. Nec incurrit ex *Suario* pœnas Bullæ intra vas masculi semen non immittens; quia delictum non est consummatum. Nec ex *eodem* qui non nisi bis, aut ter in Sodomiam sunt lapsi; quia Pontifex has pœnas Clericis exercentibus Sodomiam infligit. Nec (adhuc ex *Suario*) ante sententiam iudicis declaratoriam pœnas Bullæ in foro conscientia incurrun; quia nulla lex pœnalis obligat homines, ad se prodendum. Colligo Clericum exercentem Sodomiam, si sit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate, omnino esse absolendum.




EXAMEN IX.

De legibus in particulari circa materiam septimi Mandati Decalogi de Furto.

CAPVT PRIMVM.

De graui Furti materia.

1.  *Vid est Furtum?* Occulta ablatio rei alienæ domino rationabiliter inuito. *Rapina quid?* Est ablatio rei alienæ per violentiam.

2. *Quòdnam peccatum Furtum, aut Rapina?* Mortale ex genere suo; fieri tamen veniale possunt ex paruitate materia, vel ratione indeliberationis, & quando dominus quoad substantiam rei acceptæ non est inuitus, sed solum quoad modum; v.g. quando pater agrè fert rem, quæ auferatur à filio, non peti.

3. *Quenam quantitas est sufficiens materia ad peccatum mortale furti?* Variè respondent Doctores. Alij enim quatuor auliorum vel regalium summam grauem esse respectu omnium asserunt: alij aureum quid esse notabile affirmant respectu diuitum, respectu mediocrium medium aureum, respectu autem pauperum duorum regalium, imò minorem quantitatem respectu alicuius particularis sufficere per acci-

dens ad grauem materiam. Profectò missis, his, aliisque assignatis vtrò quantitibus, non approbo determinatam huiusmodi assignationem; quia pro Regnorum varietate varia est nummorum aestimatio; vnde ex nummorum assignatione non potest generalis certa regula praescribi. Vnde opinor illam quantitatem esse sufficientem ad materiam grauem furti, quæ omnibus consideratis, infert Domino graue damnum, aut notabili priuat utilitate: habita quidem ratione personarum, in ordine ad quas metienda est grauitas, aut leuitas furti iuxta Regnorum consuetudinem, ex qua crescit aut minuitur nummorum aestimatio. Adde illam quantitatem graue damnum inferre, aut notabili priuare utilitate, quæ sufficit ad congruam sustentationem eius cui damnum infertur iuxta status sui qualitatem. v. gr. Diues aureo indiget ad honestum victum; Aureus est respectu illius grauis materia. Eget mediocri medio aureo; Medius aureus est materia notabilis. Quod si duobus, vel tribus, vel quatuor, vel vno regali indigeret, hæc esset adæquata ad mortale materia. Si verò per accidens quis tam pauper dimidio regali solummodo ad congruum victum indigeat: hæc minima quantitas erit sufficiens materia ad grauitatem furti. Hinc colligo circa Principes etiam seruandam proportionem non considerato quantitatis excessu, sed decentiæ mediocritate: sufficientibus quidem tribus aureis ad Principis mensam; quia solius regiae personæ habenda ratio, non familiaris, cuius sustentationi copia ingens impenditur.

CAPVT II.

De Furtis minutis.

4. **M**inutis Furtis quis notabilem quantitatem surripuit: *quoniam se crimine illigauit?* Si ex intentione procedendi surripuit, in statu mortali est: si ex occasione sine intentione alterius materiae casualiter parua furta committit, non peccat mortaliter, si per magna interualla id accidat, vnde non recordetur facillè furtorum prælapsorum. In praxi quidem securiùs, cum ad notabilem quantitatem peruenit, si aduertat ita rem se habere, peccare mortaliter. Quod si non aduertit quando modica quæque surripuit, salum venialiter deliquit, licet ad magnam quantitatem furta

furta minuta accrescerent : at ad huiusmodi quantitatem perueniens , tenetur aduertens totum restituere , aut illud sanè , quo ex quantitate illa excluso leuem relinquit quantitatem.

5. *Furatur quis minimum animo furandi malus , sed non furatus est : delinquit lethaliter ; Ita planè ; quia eiusdem malitiæ est, velle surripere, quàm actu exequi.*

6. *Quid quando à pluribus aliquid aufero ? Maior quantitas requiritur ad graue furtum , quàm cum ab eodem. Imò quando paulatim ab eodem subtrahitur, quàm cum simul ; & quando tempore longo, quàm cum eodem , vel breui ; quia minus quidem infert nocumentum sic auferens : cum ratio maioris aut minoris damni sit spectanda, ad grauem, aut leuem iniuriam.*

7. *Multi simul furantur grauem quantitatem , at singuli modicum quid surripere : delinquunt ne grauius ? Si communi consilio furati sunt , grauius peccant ; quia per modum vnus aggressi sunt : at si quisque de aliis nesciat, non peccant mortaliter , nec tenentur ad restitutionem sub mortali, sed sub veniali.*

8. *Non quidem illi communi consilio surripere , sed tamen scit vnusquisque de alijs damnnum inferentibus : delinquunt ne grauius modica surripiedo ? Mortaliter peccant , & tenentur suam partem tantùm restituere ; quia non cooperati sunt illorum acceptioni. At qui fuerunt cooperati surripientes communi consensu, in integrum debent restituere, si alij non restituant portionem suam.*

C A P V T III.

De filio, & uxore, & alijs furantibus.

9. *Surripere ne possim rem meam, qua iniusto titulo apud alium est ? Delinquis quidem si aliter recuperare possis ; sed tamen ad restitutionem non teneris ; quia tua est.*

10. *Licet ne in graui necessitate aliquid surripere ? Minimè ; quia in huiusmodi necessitate res est aliena , cùm sola extrema rem faciat communem.*

11. *Principis sum creditor , qui ab eo solutionem non possum obtinere : possum ne vectigalia in compensationem defraudare ? Potes : valétque huiusmodi doctrina etiam in censibus, decimis, & alijs iuribus alteri clocatis.*

12. *Filius gravem summam accepit ex bonis, quorum pater habet dominium, vel usumfructum: deliquit ne graviter? Maximè, si pater non solùm quoad modum, vt dixi, sed etiam quoad substantiam videtur inuitus. De restitutione alibi.*

13. *Quid si uxor gravem quantitatem accipiat ex bonis mariti, vel ex bonis quorum maritus habet administrationem, & usumfructum? Peccat mortaliter, cum onere restitutionis, si id præstet sine expresso, aut præsumpto mariti consensu, aut conditione. Potest tamen inuito viro capere, aut donare, bona paraphernalia, illaque pro libito dispendere; quia sunt illius propria quoad dominium. Potest etiam ludere, & pecuniam accipere ad ludum, dandùmque pauperibus intra limitem, & decentiam status; neque peccat accipiendo aliquid, quod maritus rogatus facilè concederet. Potest item, etiam inuito viro, pro necessariis sibi, & familiæ accipere, scilicet pro veste, cibo, medicamentis, & vt subueniat patri, matri, vel filiis ex priori matrimonio susceptis, si sint in egestate, & aliunde non habeat unde illis queat subuenire.*

14. *Servus ne peccat mortaliter, quando in quantitate notabili à suo domino aufert? Peccat, nisi fortè dominus sit irrationabiliter inuitus: verbi gratia, si necessaria non suppeditet: tunc enim servus habet ius sibi succurrendi, ita iure naturæ distante.*

15. *Rem gravis quantitatis inveni: num possum licitè retinere? Si post factam inquisitionem, verus dominus non reperitur, licet perfectum esset pio operi consecrare, tamen potes tua fortuna frui, etiam si diuitiis affluas, nisi aliqua speciali prohibitione impeditus esses.*

16. *Est ne peccatum concupiscere rem proximi? Si concupiscis proximi diuitias, vt auferas, graviter, aut leuiter delinquis iuxta materiae quantitatem; at si solummodo desideras similes diuitias possidere ad bonum finem, nec leui delicto macularis. Decimum iam mandatum aperui.*

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Furto ex Societatis
IESV Doctoribus.

17. **C**um Furum sit, ut vidimus, iniusta ablatio rei aliena, §. 2. domino invito: quaeserim, an Captiuus sit hoc praecepto Defurtis interdictum, surripere ab infidelibus dominie pro iniuria capti- uuitatis compensationem? Possunt captiui Christicolæ ab in- uorurum fidelibus iniuste retenti à dominis particularibus absque Christi- iniustitia detrahere congruam compensationem pro capti- colarum. uuitatis iniuria, pro mercede seruitutis, pro lucro cessante, & damno emergente in suis negotiationibus, & bonis ob ab- sentiam à patria, & pro sufficientia redemptionis. An pos- sicut alijs quacumque voluerint surripere? Non solum à domi- nis, sed & à cunctis possunt Turcarum mancipia surripere quocumque voluerint, ex tacito suorum Principum Christia- norum consensu. Molina de iust tom. 1. tract. 2. d. 37. num. 1. Molin. non solum id de mancipiis, sed & de omnibus Christianis asseruit. Addit Sanchez opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 5. n. 38. Sanch. posse Christianos vestigalia à Turcis imposita fraudare. Horum ratio est, quia Turcæ sunt hostes publici, & bona Christianorum tyrannicè possident. Vnde Principes Chri- stiani ius habent bellum eis indicendi, eosque iure belli bo- nis eos spoliandi. Præsumitur autem Principis consensus, ut surreptione bonorum, viris inimicorum imminuantur. Quid si scandalum sequeretur, aut aliorum Christianorum dam- num, ut deberet interuenire mendacium, conscientia erronea, aut fidelitatis fractio? Christiani furantes Turcarum bona peccarent. At si haberent fœdus, vel aliquod saluum con- ductum, ad restitutionem tenerentur; quia nullo pacto præ- sumi potest Principis consensus. Porro in aliis casibus Petrus Hurtado, & alij eos à restitutionis obligatione excusant; Hurt. quia restituendo vires hostium Ecclesiæ auferent; & quia consensus Principis Christiani præsumitur quoad substan- tiam, si non quoad modum.

18. Constat paruitatem materia excusare à lethali piaculo: §. 2. excusat ne in furto reliquiarum? Si quantitas reliquiarum magna De reli- sit, & non Diui egregij, si parua, aut non magnæ apud domi- quiarum nium estimationis, materiæ paruitas excusat. Nam, Pal. tom. 1. furti. tract. 8. d. 1. p. 6. n. 19. auctore, reliquiarum non tam ex quanti- Pal. tate, quàm ex dignitate, & estimatione pensandæ sunt.

19. Accipie

19. *Accipit quis ab Ecclesia de licentia Episcopi reliquias excusatur ne à furto sacrilego? Minimè; quia Episcopus, aut*
 Sanch. Præpositus non habent reliquiarum dominium. *Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 43. num. 23.*

§. 3. 20. *Circa quantitatem sufficientem ad graue furtum placita Doctorum exprime.* Nauarrus asseruerat diuidium regalem, Salonius vnum argenteum, Medina duos, Vega quatuor, aut quinque. Marchantius victum vnus diei eius personæ, à qua quis furatur, Rodriguez duos aureos, Bañes maiorem quantitatem. Bonacina distinguit quatuor genera personarum. Primum illustrium & splendide viuentium: secundum communium, & viuentium ex redditibus: tertium mechanicorum & labore degentium: quartum mendicantium. Respectu primi generis personarum ait quantitatem grauem esse nummum aureum. Respectu generis secundi quatuor regales plus minusve. Respectu tertij duos.

Valent. Respectu quarti vnum. At ex nostris *Valentis tom. 3. d. 5. q. 10. part. 16.* tres dragmas grauem materiam asseruit. *Molina de iust. tom. 3. d. 685.* quantum satis est ad conducendam operam fossoris terræ vnus diei, circa ordinarios. Alij aliter. Nos autem vt à difficultatibus opinionum, aut nimium rigidarum, aut nimium laxarum expediremur, aliam viam faciliorem inire curauimus, quam *num. 3.* expressimus.

21. *Sufficit ne quantitas assignata ad graue furtum filiorum familiaris, aut Religiosorum? Plus in his requiritur ad furtum mortale. Sotus in Religiosis requirit duorum aureorum quantitatem. Ledesma asserit non sufficere octo regales. Sanchez summ. tom. 2. lib. 7. cap. 20. num. 3. & 6.* quatuor saltem argenteos requiri docet, amplius autem in comestibilibus.

§. 4. 22. *An multa furti parua ad vnum mortale coalescant? Ita De furtis planè. v. gr. quis paulatim modica surripit; & in vltimo furto minimis. complente materiam peccati mortalis, recordatur præteritorum: peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur? quia incipit esse alienæ rei in notabili quantitate inuito domino retentor. Quid si furans vltimum obolum, haberet animum statim illum restituendi? Non delinqueret mortaliter; quia illa modica retentio non esset notabilis iniuria. Granadus 1. 2. cent. 6. tract. 2. d. 2. sect. 3. n. 51.*

23. *An qui vltimum obulum abripuit, & fit ideo grauis furti reus: teneatur totam quantitatem, qua ex minutis illis furtis conluit, restituere? Non ad totam quantitatem tenetur sub mortali, sed ad illam qua ablata, furtum graue non remaneret.*

24. Ex aliquo ne capite probabile est, minuta furta nunquam ad constituendum mortale piaculum coalescere? Porro Emanuel Saa v. Furtum, num. 8. asserit, & ab onere restitutionis liberat, si non procedant ab eadem voluntate continuata; sic enim multa venialia furta vnum mortale non constituent. Veriorem autem reputo sententiam oppositam hac cum limitatione, tunc scilicet modica furta coalescere in vnum, quando fiunt in eodem genere negotij, & animo ditescendi, vt contingit in vendentibus oleum, vinum, & similia: & quando non sit magnum à furto in furtum intervallum. *Quantum intervallum debet esse, vt furta hac non coalescant?* Responder Sanchez sum. tom. 2. lib. 7. cap. 21. n. 10. Filliuc. Vnius anni. At Filliucius verosimilius, Vnius mensis vel dimidij Addit Sanchez num. 17. maiorem quantitatem requiri ad mortale in furtis minimis, quàm in aliis: & eo maiorem, quo plures sint domini, quia tunc minus inuiti.

25. Coalescunt ne furta minuta famulorum de rebus comestibilibus, qua claudi non solent? Minimè, si non illa vendenda, sed comedenda abripiant. Lessius lib. 2. cap. 12. Less. dub. 8. n. 48.

26. An qui peccauit mortaliter in multis modicis, semper peccet mortaliter, noua modica subripiendo? Asserit Sanchez num. 7. quia renouat implicite retinendi rem alienam notabili in materia voluntatem. Abnegat Filliucius numer. 246. quia huiusmodi furta notabilem quantitatem non consummant, sed consummatum augent; donec alia summa notabilis accrescat, in qua nouum erit mortale piaculum.

27. Ad furanda multa modica, qua grauem constituere quantitatem plures conuenere: an unusquisque grauius deliquit? Ita; quia cum non sit maior ratio in vno, quàm in alio, totum damnum singulis imputatur. Quid, si unusquisque seorsim modicum acciperet ab eodem sciat alios idem gerentes, non tamen illos iuuat, adhortatur? Vasquez 1. 2. tom. 2. d. 146. Vasq. cap. 2. num. 5. docet mortaliter delinquere. Sanchez autem numer. 22. non delinquere affirmat; quia non est reus mortalis ratione sui furri modici, nec ratione alieni, ad quod non concurrat, & præter intentionem ipsius est, quod suum cum aliis iugatur.

28. Modicum quis furatur ab Antonio, à quo alij notabilem quantitatem surripuerant: peccat ne grauius? Minimè; quia non est causa notabilis damni iam illati, ob furtum illud paruum. Sic Vasquez n. 6. Vasq.

§. 1. 29. *Dixisti in graui necessitate non licere aliena occultè su-*
De furto vari. Num probabilis contraria sententia? Ex doctrina *Lessij*
varijs. probabilem existimo: quia sicut diues in graui necessitate
Lessius. tenetur dare ita pauper potest accipere absque iniuria: ne-
 que diues in hoc casu potest esse rationabiliter inuitus circa
 substantiam rei acceptæ: sed tantum potest ei modus dis-
 plicere.

30. *Num furtum rei non sacra in loco sacro sit sacrilegium?*
Fagund. Affirmo ex *Fagundæ* non esse, nisi sit ibi deposita quasi sub
 iure & potestate Ecclesiæ; quia res illa non sacra est in Ec-
 clesia quasi per accidens: ergo ipsi Ecclesiæ specialis non
 irrogatur iniuria.

31. *Filius mercatoris, patris bona administrat, & potest à*
patre salarium exigere quantum alicui extraneo deberet: si illud
non posset à patre petendum impetrare, potest ne clam accipere?
Potest quidem ad iustam æstimationem laboris, & industriæ
sua, computatis tamen in dicta æstimatione expensis, quas
pater in ipso efficit alendo. *Laymanus* ita.

32. *Comedi apud furem bona fide cibos furtiuos: num de-*
liqui? *Sanchez* affirmat teneri te resti-
 tuere Domino id, in quo factus es ditior. Ego autem tanti
 viri venia assero non teneri ad huiusmodi compensationem
 nisi quando mala fide comedisses. Imò si furti confors non
 fuisti, comedens ex furtiuo solum videris lædere furem, qui
 gratis dat tibi quod ipse surripens restituere tenetur: vnde
 probabile existimo non teneri te ad restitutionem, licet mala
 fide comedisses.

33. *Sartores magistri assolent vendere fragmenta, qua super-*
sunt ex vestibus: an liceat emere? Ex *Sanchez* affirmatiuè re-
 spondeo, quando existimas illa ideo eos iustè retinere, quia
 alias non possunt plenam mercedem impetrare. A famulis
 autem sartorum emere non licet; quia respectu illorum haud
 potest huiusmodi coniectura fieri.

34. *Quis decreuerat iniustum damnum alteri inferre: ego*
equidem meo hortatu eum confirmaui, fuisque causa, ut citius,
& expeditius damnum inferret. Furi stem furandi gratia ascen-
denti scalam tenui, quam etsi non tenerem, tamen ille ascende-
ret. Latronem denique rem furtiuam asportantem adiuui, quæ
tamen sine mea ope auferret: Rogo num in his casibus deliqui,
scenæque ad restitutionem? Respondeo ex *Laymano* te de-
 liquisse quidem, sed ad restitutionem non teneri; quia non
 es causa furti, sed tantum modi, aut circumstantiæ. *Quid si*
hortatus meo, aut securitate, aut auxilio maius damnum infer-




EXAMEN X.

De Legibus in particulari, circa materiam octavi
Mandati Decalogi de falso testimonio
non dicendo.

CAPVT PRIMVM.

De Iudicio temerario.

1.  *Ontra octauum Decalogi praeceptum: Non falsum testimonium dices, delinquitur aut iudicio, aut mendacio, aut contumelia, aut detractione, aut susurracione. Quid igitur est iudicium temerarium? Firmus assensus de aliqua re mala ex leuib. iudiciis. Quòdnam peccatum est? Mortale ex suo genere, & contra iustitiam: at si internum tantùm sit, non obligat ad restitutionem; ex leuitate mater. veniale est.*

2. *Ut sit peccatum mortale, quanam in iudicio concurrere debent? Tria equidem. Primò, debet formari sine iudiciis sufficientibus. Secundò, debet ex plena deliberatione efferi. Tertio, certò, & sine vlla formidine. Quae quidem omnia raro concurrunt in temerè iudicantibus; plerumque enim iudicant cum formidine de opposito; nullum autem iudicium citra certitudinem est peccatum mortale.*

3. *Quid igitur de suspitione temeraria dicendum? Non est ex suo genere peccatum mortale, praesertim si contingat ex quodam intellectus errore: sicut neque opinio temeraria.*

4. *Quanam res possunt fundamentum iudicandi exhibere? Dubia de rebus aestimanda momentis suis: de personis interpretanda in meliorem partem. In dubio non teneris interpretari in meliorem partem positivè & speculativè, sed bene negativè & practicè. Ex charitate in dubio quisque iudicandus probus. Si ferendum iudicium sit, dubia in meliorem partem interpretanda. Ad cautelam, & ex suppositione dubia interpretari possunt in deteriorem partem, & Superiores ob indicia dubia subditos obiurgare possunt. Multa iudicia*

iudicia possunt esse falsa, & non temeraria: v. g. si iuuenis lasciuus cum foemina clam loquatur de re quidem indifferenti, qui videt illum sibi iam cognitum impudentem, non reuerè de crimine iudicabit. Sicut aliqua iudicia assolent esse vera, sed tamen temeraria: v. gr. si bonæ famæ vir cum foemina bonæ etiam famæ de re turpi loquatur in publico: qui iudicauerit nequitiam; verè equidem, sed temerariè iudicium profert; quia nihil adest firmum fundamentum.

CAPVT II.

De Mendacio, & secreti reuelatione.

- §. I. *Mendacium.*
5. **Q**uidnam Mendacium? Falsum verbum cum intentione fallendi.
6. *Quotuplex Mendacij diuisio?* Duplex quidem. Prima, ratione vitij oppositi veritati, in iactantiam, & ironiam. Secunda, ratione culpæ grauioris, vel leuioris, in perniciosum, iocosum, & officiosum.
7. *Num omne mendacium peccatum sit?* Ita planè & ex suo genere malum; potest autem & venialis, & mortalis esse mendacij culpa iuxta eius grauitatem aut leuitatem.
8. *Quònam peccatum est in doctrina Christiana mentiri?* Ex suo genere mortale: vt etiam mentiri in doctrinis naturalibus, si pertineant ad praxim virtutis, & vitij, quamuis omne scandalum excludatur, & contemptus.
9. *Num mortale sit crimen leuiter mentiri in iudicio, aut in Confessione?* Minimè, quia leuis iudicij iniuria, & leuis Confessionis irreuerentia est.
10. *Recepi centum ab alio, solui, sed probare non possum: num negare possum in iudicio non accepisse?* Potes quidem cum restrictione mentali: *quæ nunc debēs.* Sicut petenti centum, cum tantum debeantur quinquaginta, respondere potes, non debere.
11. *Num veritatem aliquando celare licet?* Licet equidem. Interrogatus testis, pro tempore potest vt æquiocatione, si reuera illo tempore reus factus non sit, quando non debet iuxta mentem iudicis respondere. Interrogatus an habeas pecuniam, si petatur cum iniuria, negare potes, aut si adsit rationabilis causa id faciendi. Perniciosum igitur mendacium graue aut leue est iuxta materiam, iocosum & officiosum veniale plerumque.

12. *Quid*

12. *Quid de secreti iniusta reuelatione?* Seruare alienum secretum, fidelitatis est: at seruare secretum, ad quod quis obligatur ex officio, est iustitiæ; secretum de propria re, charitatis est, & continentia.

§. 2.

Secreti
reuelatio.

13. *Quòdnam peccatum est secreti reuelatio?* Prodere secretum parui momenti, veniale est, magni momenti, vt peccatum graue, quando infamandus patrat, graue crimen erit. Detegere vni graui viro graue secretum criminis. v.g. quando scio illum seruaturum, nec grauius apud ipsum famam vulnerandam, graue peccatum non erit iuxta plures Doctores. Ego secretum graue reuelari posse vni concedo sine mortali, modò alterius peccatum non sit; nescio enim quonam modo possit crimen fœdum alterius tam prudenti viro reuelari ita vt fama bona patratoris delicti non vulneretur?

14. *Quid de secreto ad Rempublicam pertinente?* Si cedat in damnum Reipublicæ, manifestandum est: si autem reuelatio in eiusdem damnum cedat, celandum est, etiam si grauius tormenta, & mortem ipsam quis esset subituius.

CAPVT III.

De Contumelia, Detractione, Susurratione, & alijs peccatis oris.

15. *Quid est Contumelia?* Iniusta honoris ablatio facta in præsentia patientis illam. Consistit in verbis & factis; à conuicio, & improprio materialiter tantum differt. De ratione autem eius est, vt dicatur aliquid in detrimentum honoris alterius ea intentione, vt is id intelligat; quod fieri potest etiam in absentia eius, dicendo defectum aliis ea intentione, vt ad illum deferatur.

§. 3.

Contu-
melia.

16. *Quòdnam peccatum est contumelia?* Contumelia formalis ex suo genere mortale crimen est; non materialis, & quando fieret animo corripiendi tantum, nullum peccatum est; si fiat ioco, & ex animi lenitate quadam, veniale est: aliquando fautor esse posse mortale, vt cum honor notabiliter, me aduertere, aut dubitante, læderetur.

17. *Quid de libellos famosos confiscentibus?* Mortaliter peccant, non sunt tamen iure communi excommunicati; sed excommunicandi, si sint Ecclesiastici. Qui eos reperiunt, ad rescindendum tenentur. Qui confecit, non tenetur se prodere;

L

prodere;

prodere, si sit occultus; in aliquo casu potest per accidens obligari.

§. 2.
Detra-
ctio.

18. *Num repelli potest contumelia?* In animi preparatione contumelia ferenda patienter est: re autem ipsa non semper tenemur, sed in quibusdam casibus repelli potest.

19. *Detractio quidnam est?* Alienæ famæ iniusta occulta violatio. Pluribus modis fieri potest tam directè, quàm indirectè.

20. *Quàm grave detractionis peccatum?* Ex suo genere formalis detractio mortale crimen est, materialis non semper est mortale peccatum, sed veniale aliquando. Qui refert audita potest aliquando formalis detractor esse, sapè tamen non est, ut, v. g. cum probabiliter iudicat nullam inde infamiam orituram.

21. *An naturales defectus sint detractionis naturalis materia?* Regulariter non sunt, imò nec naturalium, præcipuè cum in vulgi ore communiter versantur hi, illi autem non pertineant ad famam.

22. *Publicum crimen vno in loco in alio quis diffamat: nus delinquit contra iustitiam?* Minimè, nec contra charitatem quidem, si fama facilè eum in locum crimen huiusmodi perlatura erat. *Quid si crimen olim publicum, hodie occultum sit?* Id diffamare contra charitatem est solùm, nisi propterea diffamatus contemptui inibi haberetur; tunc enim etiam esset contra iustitiam.

23. *An sit mortale diffamatum iam de vno, rursus de alio diffamare?* Si crimina sint similia, non est mortale, secus si dissimilia sint, unde accrescat graviter infamia.

24. *Licetum ne hypocritas diffamare?* Si quærentes sibi sibi virtutibus famam nulli noceant, non licet; esset enim contra iustitiam. Profectò probabile esse fateor licitum esse diffamare eos, quando fama quaesita sit ex intellectualibus virtutibus, vel naturalibus; non tamen moralibus.

25. *Num historici ut seriem historica veritatis atterant, possunt crimina prodere?* Publica quidem possunt, & etiam secreta, si infamatoria non sint, si infamatoria & non omnino secreta etiam possunt: secus si omnino secreta; quia patrorum criminis secreti ius habet ad famæ tuitionem.

26. *Licet ne mihi in aliquo casu me ipsum infamare.* Non est id ex genere suo mortale, quia ex circumstantiis licitum esse potest. Ad vitandam mortem potes te infamare; ad vitanda autem leuia tormenta infamare te cum periculo mortis mortale peccatum est: secus si grauia tormenta sint. Ad am-

Examen X. De falso testim. circa Mand. 163

cum eripiendum à morte potest se ipsum quis infamare, si iuridicè non procedatur, secus si iuridicè. Num qui vi tormentorum fassus est falsum crimen, sese retractare teneatur? Minimè, si denuò tormenta metuat.

27. *Audio mortalem detractionem: delinquo ne grauius?* Mortaliter delinquis contra iustitiam, si ita audias, vt inducas, vel animas detrahentem; si autem non impedis, curam commodè possis, nec tamen animas, aut inducas peccas contra charitatem; si denique solùm delectaris detractoris eloquentia, vel curiositate, aliena facta dignoscendi, non tamen opres, vt detrabat, venialiter tantùm delinquis; quia nullo modo causa aut adiutor existis huiusmodi detractionis.

28. *De crimine subditus coram Prælatum ille debeat impedire?* Superior, scilicet Episcopus, Superiores regularium Principes, &c. non impediunt subditum detrahentem, peccant contra iustitiam; quia causa sunt illius, cum facillè possint impedire.

29. *Possim ne aliorum reuelare crimina ad tormenta vitanda?* Falso infamare alium non licet: verum crimen licet aperire si tantummodo infamiae incommodum impendat, modo non sit sacramentaliter cognitum. Scio laudabile esse minime reuelare, sed tamen non peccabit qui tormentorum victus reuelat.

30. *Potest ne reuelari alterius occultum crimen ad impediendum proximi damnum?* Potest, si damnum proximo impendat; secus si non impendat, vel nil iuuat ad damnum impediendum.

31. *Licet ne infamare defunctum?* Minimè, præcipue tunc quando eius cum fama etiam ^{etiam} fama viuentium coniuncta esset.

32. *Quid est Susurratio?* Occulta oblocutio contra proximum, qua dissolui possit amicitia, & discordia inter amicos exoriri. Porro formalis susurratio ex genere suo peccatum graue est; materialis minimè ex genere. *Excludere aliquem ab amicitia Principis quodnam crimen?* Si illicitis modis excludatur, mortale est; si tantum naturales illius defectus, vel alij publici morales narrentur, etiam peccatum est, nisi ex illius exclusione aliquod magnum bonum sequeretur. §. 3. Susurratio.

33. *Quidnam est Irisio?* Actio, qua proximus rubore confunditur, & bono serenitatis priuatur. Præciso contemptu, veniale ex genere suo peccatum est: ex circumstantia fieri mortale potest, & aliquando nullum. Irisio.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de falso testimonio dicendo
ex Societatis IESV Doctoribus.

§. 1. 34. **E**st facile iudicare, sed difficile quis iudicando peccati lethalis reus erit: quandonam mortale erit iudicium? Ex *Tannero 2.2. d. 4. q. 3. dub. 2. num. 39.* & *Valentini tom. 3. d. 5. q. 4. p. 3.* In re graui debes proximum iudicare, sine iudiciis sufficientibus, delibere, & asseueranter sine ulla formidine. Rarò dixi contingere, hæc omnia concurrere, & ideo iudicium rarò erit lethale.

35. *Excusat materia paruitas: ergo iudicans proximum in re leuis momenti, venialiter delinquet: Rogo, an leue iudicium temerarium, quod aliquis sit filius Iudæi, aut spurius.* *Lessius* asserit *lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 14.* quia huiusmodi qualitates sunt merè naturales. Alij autem probabiliter abneant; quia hæc merè naturales qualitates apud nos obiiciuntur infames.

36. *Necessarium ne, in Confessione personæ, vel mali iudicari diuersitatem exprimere?* Non, quia moraliter omnia vni iustitiæ commutatiuæ in specie infima aduersantur.

§. 2. 37. *Quis ex lenibus iudicijs temerè & voluntariè malum de proximo suspicatur: peccatne mortaliter?* Asserunt aliqui, si res sit grauis, & honesta persona. Contrarium assero cum *Filliucio*; quia nullum iudicium citra certitudinem esse mortale, docet *Doctor Angelicus*.

38. *Suspicio in quo differt ab opinione?* Cum suspicio sit assensus circa vnam contradictionis partem cum incertitudine, & partis alterius magna formidine; differt ab opinione, quia hæc in partem discriminatim fertur vtramque.

§. 3. 39. *Scio detractionem ex suo genere peccatum mortale, ex leuitate materia veniale fieri: v. gr. si vitia proximi lenia, seu naturalia proferantur: Rogo, quid, si lenis imperfectio de tali persona narraretur, ut putaretur grauis?* Asserit *Lessius lib. 2. cap. 11. disc. 3. num. 11.* docet lethale crimen; quia plus talis viri fama ex leui eo piaculo deturpatur, quam vulgaris ex grauiori. Porro naturales animi, aut corporis narrare defectus, mortale non est. v. gr. aliquem esse natum ex adulterio, nisi ex hoc proximus in auditorum mente valde contemptibilis obiiciatur. Nec in genere profari, aliquem esse superbum,

bum, avarum, &c. quia hæc verba per se non sonant graua crimina, sed naturalem inclinationem.

40. Audiui, Petrum adulterio infectum, narro, quæ audiui asserens me nihil certò scire, sed audita referre: rogo, an sit peccatum mortale? Asserit *Azorius part. 3. lib. 13. c. 6.* Azor. quia eius causa apud auditores proximi culpa reuelatur, & creditur; facilius enim malis narratis fidem, quàm visis bonis præstas. Porro *Tannerus 2.2. disq. 4. quæst. 8. dub. 7. num. 139.* Tanner. docet narrantem simpliciter sine additione, aut confirmatione proximi crimen, lethaler non delinquere; quia si diffamatio proximi credatur, non tam erit dicentis, quàm audientis, qui non debuit ex simplicis relationis leuitate credere.

41. *Aperit quis secretum crimen proximi vni, vel duobus prudentibus, quis scit minimè id vulgaturus: delinquit ne mortaliter?* Negatiuè respondet *Tannerus 2.2. disq. 4. iust. 8. dub. 7. num. 138.* Tanner. quia sicut quis non acquirit famam, vno dicente: ita nec infamiam, si vni aut alteri crimen aperitur.

42. *Peccat ne vir ille prudens, cui crimen illud narratur, audiendo?* Dum est solus, non delinquit mortaliter. Nec etiam si cum multis adsit, & audiat communiter, si non tenetur ex officio narrantem reprimere. *Tannerus n. 151.* Tanner.

43. *Peccat ne mortaliter Petrus narrans Ioannis graue crimen notorium, eo in loco vbi nescitur?* Affirmatiuè respondent mei Doctores; quia sibi id fieri quisque ægerrimè ferret. *Lessius lib. 2. exp. 11. dub. 13. num. 68.* Less. limitat, nisi Ioanni parum esset, se alibi infamari; vel crimen, de quo punitus fuit, sit ita enorme, vt ad exemplum expediat vbique aperiri. Absolutè existimat *Fagundus Decal. part. 2. lib. 5. cap. 3. num. 149.* Fagund. sic detrahentes nec contra iustitiam, nec contra charitatem delinquere: siue crimen in loco, in quem eius fama facile, siue difficile, siue nunquam esset peruentura, detegatur.

44. *Qui falsum crimen alicui imposuit tenetur sese retractare, affirmans falsum protulisse?* Ita planè, imò si detractor non est vir magnæ autoritatis, tenetur retractationem iuramento firmare. Addit *Molina de iust. tom. 5. d. 41.* si opus est Molin. testes adhibere.

45. *Crimen occultum quis manifestauit duobus verb. gratia qui alijs quatuor manifestum fecere: necessarium ne detractori sese coram sex agnoscentibus retractare?* Sufficit duos, quibus ipse aperuerat, adire; quia posterior infamia acciden-

Tann. taliter sequuta est ex priori : & ex malitia audientium, qui etiam apud suos auditores tenentur restituere : *Tannerus 2.2.d.4. quest.6.dub.6. num.146.* Porro alij asserunt sufficere ad restitutionem, quod de tali delicto non amplius loquatur apud eosdem, & illum laudet, honorificè de eo, & cum eo loquendo. Si autem esset falsum delictum impositum, tunc necessaria, ut diximus, retractio.

46. *Non potest detractor famam restituere: teneturne pecunia compensare?* Non; quia non bene pro toto fama venditur auro. *Laymanus lib.3. sect.5. tractat.3. part.2. cap.7. num.3.*

47. *Petrus & Ioannes se inuicem infamarunt: tenenturne inuicem restituere?* Non nisi alter velit restituere, tunc enim & alter tenebitur. *Lege Turrianum 2.2. tom.1. d.53. dub.5. num.6.*

§.4. 48. *Solummodo circa mendacium quæsierim, an omne admittat materie paruitatem?* In Confessione, aut iudicio alidacis. qui non admittunt; quia cum sit contra veritatem iudicij, in quantumuis parua materia erit mortale Sequor. *Reginaldum tom.2. lib.24. cap.2. sect.4. num.44.* asserentem mendacium posse leuitate niti, siue leuis materia mendacij sit præcipua de qua iudicatur, siue circumstantia: modo non vitiet absolutionem, & iuramentum non accedat.

§.5. 49. *Debet ne aliquis cum periculo vite secretum naturale De se- seruare?* Debet planè, si bonum publicum ex eius seruatione creto. dependeat; quia sic naturalis ratio dicitur. v.gr. miles ab hostibus captus ex metu mortis non potest id sui exercitus aperire secretum, quod ad ipsius conducit conseruationem. *Quid si ad bonum particulare attineat?* Qui sine fraude illud caluit, poterit ad vitandum graue incommodum, secretum detegere; quia si non tenemur custodire secretum in proximi malum vergens, multo minus damno proprio tenebimur. *Fagundez Decal. tom.2. lib.8. c.6. n.11.*

50. *Scis, literas alienas aperire, regulariter esse mortale, nisi iure belli, iusta defensionis causa contra inimicum insidias preparantem, publici honoris ergo, aut regularis obseruantia consuetudine aperientur: Rogo autem erit ne mortale literas late- ratas & proiectas colligere, adaptare, legere?* Minimè *Laymanus lib.3. sect.5. tract.3. part.1. cap.4. num.4.* authore; quia præsumitur non magni momenti arcana continere, quod non igni datur absumentum, sed curiositati obicitur instaurandum. Monet autem Doctor, si aliquod ex huiusmodi curiositate secretum fuerit seruatum in alicuius cedens perniciem, sub

sub grauis piaculi poena à colligente epistola: particulos custodiendum.

51. Dixisti suspicionem plerunque peccatum veniale esse: rogo num sine sufficiente causa suspicari de viro sanctissimo rem gr. uisissim, v.g. haresim, aut adulterium mortale sit? Ita plane; quia tantæ personæ in criminis tanti suspitione tanta irrogatur iniuria, quàm cuiuslibet, de quo temerè iudicatur. Ex Valentia doctrina.

S. 6.
De falso testimonio varia. Valent.

52. Iudico temerè de aliquo indeterminato, aut de aliquo determinato, quem non agnosco, nec agniturus sum: num lethalter delinquam? Non; quia in hoc casu quasi nulli grauis irrogatur iniuria. Ex Fagundez.

Fagund.

53. Quot sunt detractionis modi? Octo equidem, quatuor directi hoc carmine expressi:

imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Et quatuor indirecti, hoc versu exarati:

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisit.

54. Affero in tali Collegio, vel tali in loco multos improbos adesse; vel unum in Canonico talis Ecclesia simoniam aut adulterium commisisse, persona quidem in particulari non manifestata: an deliquerim grauitè? Minimè, cum nullus grauitè lædatur: modò dictione tua talis loci nimium non minuas existimationem. sic Fagundez.

Fagund.

55. An poenitens peccato detractionis delinquat complicitatem in confessione manifestando? Minimè quando aliter non potest peccati speciem explicare, nec commoditate adeundi alium confessorium fruitur. Ex Suar.

Suar.

56. Falso affirmo adulterum scripsisse amatorias literas, aut hereticum Crucifixi imaginem vulnerasse: peccare grauitè contra iustitiam? Minimè; (vt ait Filliucius) quia iam infamatum in illo genere peccati diffamo vterius in re quæ habet cum illo connexionem.

Filliuc.

57. Scis iam libelli fam si nomine intelligi signum, vel scripturam, quæ alicuius infamiam continet nondum a te publica, vt publica sit: rogo, num concurrrens ad huiusmodi libellos præbens auxilium, &c. grauitè delinuat? Ita planè, & ad restitutionem quemadmodum confessor tenetur, vt Lessius Lessasserit. Porro ille etiam habetur libelli author, cuiusque poenis subiacet, qui aliquod signum apponit, quod alium infamat: v. g. si quis cornua ad ianuam depingat, vel exponat ad iudicandum coniugis adulteriam.

58. Licitum affirmasti aliquando ex rationabili causa peccata manifestare propria, & famam prodicere: requiro, an possit

L. 4. quis

Palao.

quis similiter exponere crimina, ex quibus aliis redundet specialis infamia: v. gr. se hareticum esse, aut crimen læsa Maiestatis commisisse? Maiorem ex Doctoribus cunctis præcipuè Castro Palao requirunt causam assero; quia ista crimina in opprobrium posterorum redundant. Similiter existimo Religiosum delinquere contra iustitiam, se ipsum infamantem, quando illius dedecus in Religionem, vel Monasterium redundat; quia fama particulari potius Religionis est.

Less.

59. *Reuelauit quis crimen alterius iniuste coram ijs, quos sciebat, vel dubitabat alijs reuelaturos: ad quidnam tenetur?* Apud omnes famam restituere; quia sua detractione censetur apud omnes causa efficiens infamiæ; secus si reuelauit alicui, de cuius taciturnitate non dubitabat. Ex Lessio.

Less.

60. *Narro amico meo iniuriam mihi ab alieno secreto illatam, non quidem animo detrahendi, sed doloris mei leuandi gratia: delinquone mortaliter?* Minimè; nam (vti Lessius innuit) durum est acceptas iniurias silentio obruere.

Suar.


61. *Dixisti occultum crimen alienum sine graui causa, vni aut alteri viro prudenti manifestare, quem scis non euulgaturum, non esse mortale, rogo, num ratio sit sufficiens, vt non delinquatur; hanc non esse notabilem fama læsionem?* Scio id aliquos extra Societatem affirmare vt Caietanus, &c. Ast ego eam non existimo sufficientem causam cum Suario. Vnde affirmo peccatum graue huiusmodi delictum vni aut alteri manifestare, si fama sit apud illos lædenda; quia si iudicare temerè aliquem graue peccatum est, ob famæ deturpationem iudicati apud eum, qui iudicat, quare non erit graue peccatum aliquem apud duos viros infamare? Igitur non erit peccatum graue, eo quod non sit notabilis læsio fama apud duos, sed quia prudentes cum sint non grauius apud illos delinquens deturpabitur: quod si lædenda sit grauius fama, nec apud vnum licebit alterius manifestare delictum.

62. *Detraxi verbis generalibus affirmans aliquem esse mendacem, grauius scio me deliquisse, si persona grauis erat, aut dignitate, aut ministerio: num teneor famam restituere?* Scio alios generatim excusare à restitutione omnem detractionem, quæ non est de peccatis mortalibus. Sed tamen ego assero teneri ad restitutionem, qui affirmavit grauem virum esse mendacem, quia licet mentiri mortale non sit, deturpatur fama illius viri de quo id affirmas, ac si grauius deliquisset: vnde teneris ad satisfactionem sub mortali.

63. *Dixisti non esse peccatum mortale in confessione reuelar*

are crimen proximi: v. gr. complicit, si non posset adiri alius confessarius, cui is esset ignotus: rogo num probabile sit etiam peccatum non esse, licet adiri facile possit alius confessarius? Probabile esse affirmant graues Doctores exteri; quia si licitum est illud dicere vni vel duobus extra confessionem, multo magis in confessione, cum absit diuulgationis periculum. Ex Suaric.

Suar.



EXAMEN XI.

De Legibus in particulari, circa primum Ecclesiae praeceptum de audiendo Sacro.

CAPVT PRIMVM.

De Missae Sacrificio.



1. *Vid est Sacrificium?* Oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in signum legitime institutum diuinæ excellentiæ. Multiplex olim fuit & si materiam spectes, in animalia, fructus terræ, & libamina (quæ liquores quidam erant) distinguebatur; si formam, seu actionem offerentis, in holocaustum, hostiam pro peccato, & pacificam partiebatur; si finem offerebatur tum pro venerando Deo, eiusque excellentia protestanda, tum pro expiatione peccatorum, tum pro gratiarum actione, tum denique pro impetratione beneficij. Hinc Sacrificij Missæ perfectio dignoscitur, quod & holocausti rationem habet in diuinæ excellentiæ recognitionem, & actionis gratiarum in recognitionem passionis Christi, & impetratorij, cum per illud Christus offeratur, cui nostra spes omnis debet inniti.

2. *A quonam Missæ Sacrificium institutum?* Si sermo sit de substantia, à Christo Domino fuit institutum, docente fide: si ratione caeremoniarum, & orationum, quæ adiunguntur, Ecclesiam habet institutricem.

3. *Quanam res Sacrificij huius?* Christus est, qui sub Sacramentalibus speciebus offertur.

4. *Quanam autem actio, in qua ratio Sacrificij ponitur?* Consecratio est ad sumptionem ordinata, sic enim cibus & refectio fidelium.

5. *Requiritur ne vtriusque speciei consecratio?* Ita planè: sic

enim mystica mactatio est expressè corporis à sanguine separationem repræsentans.

6. *Differt ne Missa ab incruento Sacrificio, quod Christus obtulit, & à Cruentis?* Profectò Missa Sacrificij illius oblatio est accidentaliter tantum differens ab incruento illo, quod in cæna Christus obtulit, & à cruento Crucis; quod in actione quidem sacrificandi distinctum, sed in re oblata convenit.

7. *Quisnam offerens hoc Sacrificium?* Summus Sacerdos principaliter offerens Christus est, non tantum remotè, ob institutionem, & virtutem in eius merito fundatam; sed etiam proximè, quia Sacerdos quilibet in persona Christi conficit, & cum omnibus actu concurret repræsentando omnes & singulas oblationes Christi Deo in passionis suæ memoriam. Porro Minister omnis Sacerdos est legitimè ordinatus: alij etiam fideles moraliter illi aliquo modo cooperantes; offerentes sunt medio Sacerdote: & suo etiam modo tota militans Ecclesia.

8. *Pro quibusnam hoc sacrificium offertur?* Personæ, pro quibus offertur, multæ sunt. Primò ipsemet Sacerdos. Secundò alij fideles, qui offerunt. Tertiò alij omnes, pro quibus vel Sacerdos ipse fructum satisfactionis, & impetrationis offert, vel alij offerentes applicant, vel quod ad ipsos pertinet ex opere operantis. Quartò ipsa Ecclesia militans ex fidelibus constans, in qua infantes quidem peccatores, & catechumeni fructus impetrationis capaces sunt, energumini etiam fructus satisfactionis: excipie excommunicatos, pro quibus publicam personam agendo non licet offerre, sed tantum priuata oratione in *Memento*. Quintò etiam infideles, quibus tantum prodest Missa, ut est impetratoria. Sextò defuncti in Purgatorio existentes, quibus omnibus modis prodest. Septimò beati, pro quibus ut honorarium Sacrificium est, & impetratorium accidentaliter, & extrinsecè gloriæ, potest offerri. Nullo autem modo pro damnatis offerendum.

9. *Quosnam Missa parit effectus?* Primò gratiam primam, & remissionem mortalium, non quidem ex opere operato, sed per modum impetrationis, & mediatè bonum motum in nobis excitando, per quem gratiam inueniamus in auxilio opportuno, non semper efficaciter, sed sufficienter ex parte sua, & infallibiliter, præsertim si pro se ipso quis offerat. Secundò eadem ratione eiusdem gratiæ præstat augmentum. Tertiò venialia peccata remittit etiam ex opere operato, mouendo

mouendo Deum ad producendum remissionis effectum, vt probabiliter cum Filliucio assero. Quartò pœnâ peccatorum siue mortalium, siue venialium ex opere operato tollit, nec minus easdem per modum impetrationis remittit, cum spirituales vires impetret ad opera pœnitentiæ peragenda, quibus Deo satisfacimus. Quintò bona etiam temporalia per modum impetrationis confert.

10. *Quisnam autem personis hi effectus tribuuntur?* Primò, ministris offerentibus. Secundò, aliis fidelibus cooperantibus ad Sacrificium. Tertio, toti Ecclesiæ. Quartò, iis, pro quibus Sacrificium offertur. Porro ipse Sacerdos duplicem fructum refert satisfactionis, qui ex opere operato confertur, alterum vt publicus minister est, alterum vt priuatus offerens, quem tamen nisi iustus sit minimè recipit. Is verò, pro quo offertur, vnum tantum accipit satisfactionis, quam ipse Sacerdos vt publicus minister est confert.

11. *Quid si nulli Sacrificij fructus applicetur, vel incapaci vel non indigenti?* in Ecclesiæ thesauro remanebit.

12. *Priuati offerentes possunt ne offerre satisfactionum suarum partem?* Non; quia personalis est. Attamen probabile arbitror cum Filliucio & aliis ex charitate posse, sicut alias proprias satisfactiones.

13. *Quidnam requiritur ad hos fructus percipiendos?* Gratia habitualis, & viatoris status, qui tamen etiam existentibus in purgatorio conuenit, quia quoad pœnarum remissionem adhuc in via censentur.

14. *Quantus Missæ valor?* Profectò hic Missæ qualiscunque valor, qui ex opere operato confertur, finitus est quoad intensionem, cum Ecclesia sæpius pro eodem sacrificare consuescat. Eodémque pacto pro pluribus collatus minor erit in singulis, non tamen minuetur multitudine offerentium, cum quo plures offerentes sunt, eò etiam plures quodammodo oblationes sint, continentis singulæ suum fructum. Valor tandem Missæ, qui per impetrationem habetur, infinitus est, ideòque pro multis oblata non minus singulis prodest, quam si pro vno tantum offerretur.

CAPVT II:

De Missæ celebratione.

15. **Q**uoties tenetur Sacerdos in anno Missa celebrationi operam dare? Probabile est, ter, vel quater in anno satis futurum, si nullum inde scandalum, vel damnum ipsius spirituale sequatur. Porro quotidiana celebratio in præcepto non est, sed in consilio; & aliquando nedum absque peccato sed etiam cum merito potest intermitteri.

16. Num præceptum Ecclesiasticum, ut in aliquibus Ecclesiis quotidie celebretur? Est quidem in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis præceptum ut quotidie celebretur, dempta feria sexta Parasceues; feria autem quinta in Cœna Domini vna tantum Missa publicè à primario Sacerdote solet celebrari: priuatim autem etiam possunt aliæ dici, & publicæ matutino tempore, vbi talis vigeret consuetudo: Sabbato verò sancto vna tantum publicè celebranda est: priuatim ab hora Paschalis officij etiam aliæ scandalo excluso.

17. Quoties in die sacrificare licet? Semel ordinario iure si diem Natalis dominici excipias, vel si vnus idemque Sacerdos plures Parochias haberet, & coadiutorem commodè sortiri posset.

18. Quòdnam sacrificandi tempus? Ab aurora ad meridiem vsque moraliter accepta, & satis est si vel finis Missæ in auroram cadat, vel initium in meridiem.

19. Quòdnam ad Missam locus requiritur? Sacer esse debet, ut Ecclesia, vel oratorium benedictum. Quid si violaretur? Ante purificationem celebrandum non est. Hic profectò locus communis dicitur. Proprius est Altare, hoc est altaris mensa lapidea, & consecrata. Sine altari huiusmodi siue fixo, siue portatili non potest sine peccato celebrari.

20. Quanam in Altari Ecclesiastico præcepto esse debent? Quinque, duplex mappa, vel vna plicata, corporale ab Episcopo consecratum, lumen ardens ex cera, Missale, & Crucis imago. Vasa autem ad id necessaria, Calix & patena ex auro, vel argento, vel stanno, & ab Episcopo consecrata.

21. An necessarid opus officium diuinum precedere Missæ Sacrificium? Minimè; imò si aliqua de causa omittatur, etiam si mediocris sit, nullum peccatum est; si nulla adsit causa, veniale.

22. Quid

Conyentibus
alibus

Examen XI. De Missa circa Præc. I. Ecel. 173

22. *Quid de sacris vestibus? Vfus earum congruentissimus, & Ecclesiastico præcepto necessarius est. Benedictæ esse debent, & absque iis sacrificare non licet: si tamen absque vna vel altera ex minoribus Sacrificium offerretur, secluso contemptu, aut scandalo, mortale non esset. Potest ne nudis pedibus, aut cooperto capite sacrificari? Nisi grauis infirmitas, aut Episcopo absente necessitas excusaret, non licet. Quod si ad id agendum diuturna necessitas adigat, Episcopi dispensatio requirenda.*

23. *Quinam in Sybis ritus seruandus? Vt in Missali præscribitur. Vnius tamen diei Missa priuatim potest immutari, præsertim ex causa cum altera alterius diei, nisi peculiaris obligatio adesset vel ex stipendio, vel institutione. Preces ex deuotione addendæ non sunt nec publicè, nec priuatim.*

24. *Quidnam de actionibus? Peccatum esset suo genere mortale, si vel nouus adderetur ritus, vel antiquus omitteretur, nisi materiæ leuitas, aut ignorantia excusaret.*

25. *Quænam modis ministri obligari possunt ad celebrandum? Primò ratione beneficij, in quo eius institutio attendenda erit, & obseruanda, vt si capella aliqua sit: si verò curatum non est obligatio singulis diebus offerendi Missam pro suis ouibus: sed aliquoties, vt Dominicis diebus, nisi consuetudo, aut declaratio Episcopi aliter docuerit. Secundò ratione stipendij accepti, & ex contractu oritur sacrificandi obligatio: iustum autem esse censetur siue quod Capellæ eam ob causam relictum est, si ex ea consurgat obligatio: siue quod à Superiore taxatum est, siue quod consuetudine introductum. Non est autem eius æqualitas, & iustitia mensuranda ex congrua sustentatione Sacerdotis pro iis diebus, quibus datur, cum aliæ supersunt actiones faciendæ, pro quibus etiam stipendium aliquod lucrari potest, & actio sacrificandi non exigat integrum diem. Pro vna Missa non potest exigi nisi vnum adæquatum stipendium, illudque ab omnibus sumi potest, siue pauperes sint, siue diuites, siue absque beneficio, siue cum illo, modò obligationibus ex eo nihil detrahatur. Neque Parochi à recipiendis huiusmodi stipendiis excluduntur, cum possint iis diebus, quibus pro suis ouibus sacrificare non tenentur, offerre sacrificia pro aliis. Num Sacerdos pauper duplicata stipendia ob paupertatem referre potest? Nisi esset extrema, aut singula stipendia iusta non essent, haud potest referre duplicata.*

26. Num

26. Num necessarius Minister adiuuans in priuatis Missis? Ecclesiastico præcepto necessarius est, isque vir, fœmina minimè, nisi fortè è remoto loco respondeat, vt monialis in choro. Porro in necessitate etiam sine ministro sacrificari potest.

C A P V T III.

De Missa audienda obligatione.

27. **Q**uanam fidelibus Missa audienda obligatio? Ecclesiastico præcepto festis diebus fideles omnes sacro audiendo tenentur. Quod quidem voluntariè absque legitima causa excusante omittere etiam semel, mortale crimen est.

28. Num totum sacrum audiendum? Ita planè, & si notabilis pars non audiatur, v. g. maior parte quarta, videlicet ab introitu vsque ad Euangelium exclusiue, præcepto non satisfacis.

29. Quid si notabilis pars omissa sit? Si inuoluntariè omittitur, suppleatur per aliam; si voluntariè animo non audiendi aliam, vltra mortalem culpam, manet obligatio præceptum implendi, si nondum tempus sit elapsum. Impletur ne auditione partis alterius Missa? Ita planè, etsi consultius esset vnius integram audire.

30. Impletur ne præceptum per quamcunque Missam? Ita planè etsi votiua esset, vel defunctorum, etiam si ritu Græco, vel Syriaco celebretur.

31. Quanam presentia, aut attentio requiritur? Requiritur quidem corporalis presentia moraliter sumpta, vt nimirum percipere possis, quid agatur: intentio autem virtualis saltem audiendi: nec obest alia praua intentio vt aspiendi libidinosè fœminas priori coniuncta, dummodo requisita adsit attentio vel ad res sacras, vel ad ea, quæ dictis aut factis significantur, vel ad diuina. Si inuoluntariè aliquando distrabor? Remanet virtualis attentio cum qua assistere cœpisti.

32. Possunt ne in Missa Psalmi, vel alia preces, etiam ex obligatione recitari, & impleri pœnitentia in Confessione habita? Possunt; quia cuncta eidem fini adiiciuntur, modò debita sacris actionibus Missæ non desit attentio.

33. Quanam

Examen XI. De Missa circa Prac. I. Eccl. 175

33. *Quinam fideles ad Missam audiendam adstringuntur?* Omnes adulti, etiam pueri impleto septennio.

34. *Quisnam diebus hac urget obligatio?* Qui sunt ex præcepto festi siue iure communi, siue consuetudine, siue principali statuto.

35. *Excusant ne aliqua cause ab implendo præcepto?* Plures causæ excusant, triplex præcipuè, impotentia, corporalis, spiritualis, & moralis, charitas, officium, & consuetudo rationabiliter introducta.

CAPVT IV.

Praxis, circa materiam de Missæ sacrificio, & auditione, ex Societatis IESV Doctoribus.

36. **S**cio in die Natiuitatis Dominica tres Missas neminem §. 1.
steneri celebrare: at rogo, num possit quis ante auroram De plu-
cunctas perficere? Aliqui non posse asseruere, cum quia con- ribus sa-
tra Missalis Rubricam, tum quia in Canone prima Missa po- cris eodẽ
nitur, Noctem sacratissimam, pro aliis duabus, diem sacratissi- die perfic-
mum venerantes. At Suarius 3. p. tom. 3. d. 80. sect. 4. licere ciendis.
docuit; quia in c. nocte sancta de consecr. dist. 1. in nocte Nati- Suar.
uitatis Missas sine distinctione celebrari conceditur. Quid Vafq.
de Rubrica? Vasquez 3. v. tom. 3. d. 232. cap. 3. n. 3. ait Rubri-
sam de Missis solemnibus esse locutam. Quid de Canonis
varietate? Suarius citat. docet, aliquando verba Diuini officij
referri ad tempus, pro cuius commemoratione dicuntur. Vn-
de tres Missæ possunt prope meridiem celebrari, non obsta-
te, quod in prima dicatur: Noctem sacratissimam.

37. *Quisnam in casibus Sacerdos ieiunus potest iterum Missam celebrare?* Enumerat Valentia tom. 4. d. 6. q. 11. part. 3. Valent.
septem. 1. In die Natiuitatis Domini. 2. Si vnus Sacerdos
esset præfectus duabus Ecclesiis Parochialibus ob ipsarum
inopiam. 3. Quando sub finem vnus Missæ superuenit
Episcopus, vel habens quasi Episcopalem iurisdictionem
Ordinarius, Prælati, Rex, seu alius secularis Princeps,
vel aliqui iter agentes in die festo. 4. Ad benedicendas nu-
ptias, aliqua necessitate, aut magna congruentia urgente. 5.
Quando sub finem Missæ corpus defuncti cum Missa sepe-
liendum intraret. 6. Si non esset asseruata Eucharistia, &
mandum viaticum moribundo. 7. Ob rationabilem causam,
vel congruentiam à vi o prudenti iudicandam, vt habetur

cap.

- cap. consuliſti, de celebr. Miſſar. cur ergo ſupra num. 7. aſſeruiſti ſolum primo, & ſecundo in caſu licere Miſſam iterare? Quia caſus reliqui ob multitudinem Sacerdotum in deſuetudinem abiere. *Aliquis contingit.* Sacerdos locorum attendat conſuetudinem, & licentiam ab Epifcopo requirat. Sic *Poſſeuus cap. 2. num. 7.*
38. *Licetum ne renouanti Euchariftiam, conſumere hoſtiam conſecratam olim, & quam ipſe conſecrat in ſacrario reponeret*
- Fagund. Aſſerit Fagundez p. 1. lib. 3. cap. 4. num. 26. At *Præpoſitus* 3. p. Præp. 9. 83. ar. 1. dub. 7. num. 50. ſententiam hanc improbabilem putat; quia de ratione ſacrificij eſt vt ſumatur hoſtia, quæ ab ipſo ſacrificante eſt conſecrata. *Non habens maiorem hoſtiam conſecrauit particulam.* Oſtendat populo hoſtiam olim conſecratam addita particula.
- §. 2. 39. *Eſt ne lethale crimen, vnã Miſſalis Miſſam in aliam De ritum mutare. v. g. Miſſam Natiuitatis in Miſſam Aſſumptionis; aut celebrã - haſce Miſſas extra diem talium feſtiuitatum recitare?* Non; di. quia Bulla Pij V. Miſſali Romano præfixa non obligat ad mortale niſi in rebus grauibus. *Filliucius tom. 1. tract. 5. c. 5. num. 140.* Addit *Præpoſitus* in 3. p. 7. 33. ar. 4. dub. 3. n. 187. generaliter nos obligari vi Bullæ ad obſeruandum Miſſalis ritum, & alium non introducendum: vt ſi (v. g.) vnusquique pro libito alius Miſſalis ritu ſacrum ageret.
40. *Peccat ne grauiter, qui Miſſa modicum addit, vel ex ea detrahit?* Docet *Filliucius tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 155.* non delinquere mortaliter; qui aduertenter in Miſſa omitteret *Credo*, vel *Gloria*, aut in Canone alicuius Sancti nomen; ob materiæ ſcilicet paruitatem. Idem ſentio de eo, qui aliquam commemorationem ſubmiſſa voce adderet.
41. *Scio aliquos aſſeruiſſe, peccare grauiter Sacerdotem, qui dum ſe ſacris veſtibus induit, orationes ſolitas prætermittit aduertenter: quid ſentiendum?* Ait Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 21. num. 9. non omnes Miſſalis regulas ad mortale obligare, ſed illas tantum, quæ ſacrificij eſſentiam, vel quali eſſentiam continent.
42. *Conceditur facultas Religioſis Societatis I E S V Miſſam de Luifio Gonzaga (v. g.) Beatificato celebrare: frui ne poſſunt alij Sacerdotes eadem facultate?* Aſſeruit *Palauſ tom. 2. tract. 4. d. 1. p. 5. §. 5.* ſed *Granad. 2. 2. contr. 1. tract. 7. d. 4. ſect. 2. num. 2.* contrarium aſſeruit; quia ita expreſſè ſacra Congregatio Cardinalium determinauit apud *Gauantum in Enchr. Epifcop. v. Miſſæ ritus num. 1.* Probatum autem, quia *Alex. III. in cap. de Relig. & vener. Sanct. prohibuit, aliquem coli Beatum publico*

publico cultu sine summi Præsulis facultate. Quid si in diplomate, certis personis nominatis, non addatur particula, tantum? Putat Granado alios Sacerdotes posse Missam concessam celebrare, petentibus tamen illis, quibus facultas celebrandi conceditur. Quemadmodum licet Capellano Missas Capellanix per alios agere.

43. *Potest ne Sacerdos probata memorie aliquo in casu sine Missali celebrare?* Negat Fagundez tom. 1. lib. 3. cap. 21. n. 23. Fagund. quia nota incurritur apud audientes. At sciens Gabrielem Vasquez in 3. part. tom. 4. d. 235. cap. 3. numero 26. asseruisse Vasq. Sacerdotem, qui parum videt, posse memoriter Missam recitare, sed Missali præsentem ad decentiam; affirmo Sacerdotem probatæ memoriæ posse sine Missali celebrare, sed simili libro appposito, ne apud adstantes aliqua nota iniretur.

44. *An licitum in casu necessitatis cum lumine olei, aut adipis celebrare?* Negat Henriquez lib. 9. cap. 26. num. 4. quia usus Henriq. celebrandi cum cereo accenso à tempore Apostolorum est introductus. At Suarius in 3. part. tom. 3. d. 81. sect. 6. affirmat, Suar. seclulo contemptu, & scandalo; quia olim in Sanctuario lampades in Dei cultum ardebant. Monet Doctor id ante factum non esse consulendum. Attamen Laym. lib. 3. tract. 5. c. 6. Laym. num. 17. in necessitate asserit consulendum.

45. *Scio non posse Sacerdotem ex causa iusta Missam cooperato capite celebrare sine licentia Episcopi, aut si Regularis est, sui Prelati: rogo tamen an possit id gerere aliquando sine graui piaculo?* Posse quidem Suarius in 3. part. tom. 3. d. 83. sect. 3. affirmat, Si grauis id infirmitas exigeret, & licentia facile non posset acquiri.

46. *Potest ne Sacerdos in necessitate sine ministro celebrare?* Aliqui asserunt posse, v. gr. si in die festo, aut cum consecrandum esset viaticum pro moribundo, minister haberi non posset. *Potest ne femina in tali casu admitti?* Negat Suarius Suar. in 3. part. tom. 3. d. 88. sect. 1. quia c. 1. de cohabit. Cleric. & mulier. dicitur, quod nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare. Scio aliquem contrarium asseruisse, existimantem quidem textum prædictum casum necessitatis complexum non esse. Suario hærescimus.

47. *Potest ne quis ante auroram celebrare?* Asserit Reginaldus tom. 1. lib. 29. cap. 9. numero 173. quadrante ante auroram Reginald. posse. Azorius part. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 5. hora & quadrante Azor. ante solares radios manifestos. Fernandez part. 3. cap. 5. §. 14. Fernad. num. 3. aliam semihoram addidit. Suarius in 3. part. tom. 3. d. 80. Suar.

sect. 4. docet Religiosos, qui ex privilegio vna hora ante diem celebrant, posse quidem tribus horis ante diem celebrare.

48. Scio terminum Missae celebranda esse meridiem: rogo, num meridiem sit mathematicè accipiendus? Concedit parum ultra meridiem *Præpositus in 3. part. quest. 83. art. 2. dub. 2. num. 143.* quia parum prohibitio reputatur. *Laymanus lib. 4. tract. 5. cap. 4. num. 4.* te putat peccare mortaliter, si Missam ad mediam horam post meridiem differas. *Azorius p. 1. lib. 10. cap. 25. quest. 6.* Si ad tertiam horæ partem. Porro ex *Laymano citato*, Sacerdos in die festo vna hora ante meridiem, potest Missam incipere, si ratione itineris, v.g. fuit impeditus.

49. Possunt ne Sabbato sancto Sacerdotes celebrare? Omnes quidem priuatim possunt, auctore *Gaspere Hurtado de sacram. d. 4. de sacrif. Missæ, diff. 3.* monente, si quis celebrare velit ante solemnem, posse Missam de Sancto ea die contingente, v.g. Annunciationis, vel votiuam celebrare.

50. Licitum ne in pelago celebranda Missa operam dare? Pro infirmo muniendo viatico, aut pro audiendo sacro diebus festiuis asserit *Granado in 3. parte tit. 6. tract. 14. d. 13. num. 2.* licere, si mare tranquillum, & adsit alius Sacerdos, qui Calicem post consecrationem firmiter teneat. Hoc autem ait *Coninch. de sacram. quest. 83. art. 3. dub. 1. num. 226.* sine Pontificis summi facultate geri non posse.

§. 3. 51. Scio ex grauibus Doctoribus Sacerdotem confessione præmissa, celebrantem, si post sacrum inceptum recordatur alicuius mortalis oblitum esse, non teneri contritionem elicere; quia culpa illa iam remissa fuit indirecè per pœnitentiam virtualem. Rogo autem, si Missam sine præmissa confessione incepit excitans non habere mortalem culpam, & post ea recordatur habere, an teneatur conteri? Tenetur; quia culpa irremissa. Quod si non possit ad contritionem excitari? *Gaspas Hurtado de sacram. d. 8. de Euch. diff. 1.* asserit non peccare mortaliter si prosequatur, & Sacramentum recipiat; quia præceptum dignè communicandi non adèd strictè obligat, vt ad dimittendum Sacramentum inchoatum cum populi scandalo, & suæ famæ dedecore obliget. *Adest solus minister, quem facile posses ad alium locum mittere, aut diutius Missam protrahere coram ipso.* Deberet adhuc contritioni eliciendæ studere.

52. Quando nam Sacerdos in peccato mortali existens, poterit sine præmissa confessione cum sola contritione sacrum gerere? Vt ipse, vel alij præceptum communionis impleant in Paschate: si alijs non adsit, quia hoc præceptum non est purè Ecclesia

Ecclesiasticum, sed iuvinum, determinatum tamen ab Ecclesia quoad tempus. *Lugo Cardin. de Euch. d. 14. sect. 5. num. 116.* Ut moribundo viaticum conferatur. *Lugo citat.* Ut in die festo alij Missam audiant, si non adsit alius Sacerdos celebraturus; quia urget necessitas proximi. *Suarus tom. 3. in 3. part. d. 67. sect. 4.* obiicit, illi non peccabunt non audiendo sacrum, si ipse non celebret. Cui respondeo cum Cardinali meo. Nec moribundus peccaret sine viatico decedens. Potest ne Sacerdos, ut ipse præcepto audiendi sacrum satisfaciat? Negat *Suarus ubi supr.* sed alij probabiliter affirmant.

53. Peccati reservati reus Sacerdos in casu necessitatis constituitur, adest confessarius inferior carens auctoritate ad reservata: an Sacerdos reus simul peccati mortalis non reservati, aut venialium possit celebrare, non præmissa confessione? Ait *Præpositus in 3. part. quæst. 80. art. 5. dub. 3. num. 17.* posse. *Præp. Hurtado de poenit. d. 11. diff. 14.* existimat debere; quia non adest confessoris copia, à quo integrè possit absolui. At assentit *Suarus citat.* teneri & reservata & non reservata illi Sacerdoti inferiori aperire, ut ab omnibus saltem indirectè absoluantur. Quid si præter reservata solum venialia haberet? Deberet venialia ac reservata confiteri, ut ab his indirectè, ab illis directè absolueretur, ex sententia *Coninch. de sacrament. Coninch. q. 80. art. 4. dub. 2. num. 21.*

54. Potest ne celebraturus aut communicaturus absente superiore confiteri Sacerdoti inferiori peccata non reservata, & reservata relinquere, confessione dimidiata ad vitandum scilicet scandalum? Negat *Valentia tom. 3. d. 7. quæst. 11. part. 1.* Valentia quia confessio debet esse integra quantum potest, ut omnia peccata directè, & indirectè absoluantur. *Gaspar. Hurtado ubi supr.* docet, celebraturum aut communicaturum se gerere debere, ac si confessarij copiam non haberet; quia Sacerdos ille non potest extra mortis articulum absolvere à reservatis. Porro *Petrus Hurtado de Mendoza 2. 2. d. 84. sect. 7. §. 182.* Mend. affirmat posse confessionem dimidiare, & reservata relinquere; quia ad absolutionem indirectam non est necessarium, peccata exprimi, ut in peccatis patet oblitis; neque Confessio integra debet esse quo ad ea, quæ confessarij potestatem excedunt.

55. Sacerdos in casu necessitatis, confessario carens, celebravit: tenetur ne quamprimum confiteri? Asserit *Suarus in 3. part. tom. 3. d. 66. sect. 4.* quia sic Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. præcipit. At illud: *Quamprimum, Concilij quomodo*

Fagund. *modo intelligendum?* Aliqui exponunt, *statim finita Missa. Fagundez autem præc. 3. lib. 3. cap. 8. n. 9. explicat, cum primum rursus celebraverit.* Non approbo; quia secluso præcepto Concilij Sacerdos rursus celebraturus, id facere teneretur, & si per octo menses non celebraret, non teneretur confiteri, quod est absurdum. Unde addiderim Fagundez sententiæ, cum primum proxima die, aut post unum, vel alterum diem rursus sit accessurus ad altare.

Præp. 56. *aceruos ante celebrationem confessus, aliquod peccatum ex oblivione omisit: debet ne quàm primum confiteri?* Afferit *Præp. 57. in 2. part. 9. 60. art. 5. dub. 4. num. 21.* quia hoc peccatum per se loquendo debebat ante communionem subiici clauibus, & dici potest, quod conficius illius celebraverit sine illius confessione. Profectò *Card. de Lugo de sacr. d. 14. sect. 7. n. 112.* idem affirmat in casu, quo Sacerdos habens referuata, absente superiore, & urgente necessitate, confessus esset inferiori non referuata, & celebrasset. Vel antea confessus, & absolutus, recordatus postea lethalis oblitio, nec valens illud confiteri, sine noua confessione celebrasset.

S. 4. 57. *Scio, duplicem Sacrificij valorem, unum ex re oblata, qui De valo- ex opere operato dicitur, alterum ex actu offerentis, qui ex opere obere, & ap- rantis appellatur: an uterque finitus?* Ita planè, quia quamuis plicatio- res oblata sit infinita, cum tamen offerens sit finitus, & actus ne Missa. eius finitus, valor etiam finitus est. In tres partes diuiditur. Prima, quæ ex vniuersali Ecclesiæ intentione toti populo Christiano applicatur. Secunda, seu media quæ applicatur ex intentione peculiari Sacerdotis cui ipse voluerit. Tertia, quæ est propria ipsius Sacerdotis.

Præp. 58. *Sacrificium pluribus applicatur: prodest ne singulis, ac si uni tantum applicaretur?* *Præpositus in 3. part. quest. 83. art. 1. dub. 7. & Henriquez lib. 9. cap. 17. num. 5. negant;* quia valor **Henriq.** Missæ, ex capite prædicto, finitus est.

Vasq. 59. *Requiriturne Sacerdotis actualis intentio, ut valor illo medio applicetur alicui?* *Requiritur Vasquez in 3. part. tom. 1. d. 138. cap. 6. num. 76.* actualem intentionem ipsius Sacrificij tempore, qualis ad consecrandum. *Lugo autem de sacr. d. 8. sect. 6. num. 93.* sufficere docet, quod aliquando voluerit, tale illi prodesse Sacrificium, etiam si dum celebrat, nihil de hoc veniat in mentem, dummodo habitualement illam voluntatem non retractauerit.

Suar. 60. *Superior Sacerdotis Regularis Missam applicat alicui: rogo an præterea necessaria sit Sacerdotis celebrantis applicatio?* Afferit *Suaris in 3. part. tom. 3. d. 79. sect. 9.* quia tam **conle**

consecratio, quàm applicatio Missæ ita instituta est, vt à libera celebrantis intentione dependeat.

61. Sacerdos primò celebrat cum Episcopo: possunt ne singuli, cui voluerint, integrè & independentè à voluntate alterius Missam applicare? Possunt (ait Maratius tom. 3. de Euch. d. 38. sect. 8. num. 4.) quia singuli sunt vera causa per se totius sacrificij, ac si vnus solus offerret. Marat.

62. Recipit quis pro Missa stipendium: tenet-ur ne applicare danti orationes, & preces, aut fructum operis operantis? Respondet Coninch de sacr. quæst. 83. art. 1. dub. 10. num. 195. tantum fructum ex opere operato teneri applicare. Alij autem huic sententiæ non subscribunt, quia æquè valeret danti cleemosynam boni ac mali Sacerdotis Sacrificium: frustra-que Doctores consulerent, probatæ vitæ Sacerdotes esse quærendos. Conin.

Fagundez Prac. 1. lib. 3. c. 6. n. 22.
63. Licet ne applicare de unctorum Missas viuentibus, ac si vita functi essent? Negatiuè respondet Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 15. tum quia id contrarium plane Romanæ Ecclesiæ ritibus. Tum quia nullum habet peculiarem fructum, quem non habent Missæ pro viuis institutæ, v. gr. de Sanctis, aut de remissione peccatorum. Si loquamur de fructu ex opere operato, hic in omnibus Missis æqualis est: nec quia applicatur in subsidium animæ, postquam è vita decesserit, potest suspendi: nam statim prodest ei, cui applicatur, si est capax. Si autem de fructu ex opere operantis, nimirum ex suffragiis Ecclesiæ, non potest nisi imperitè, ac superstitiosè, viuis applicari; quia illæ preces, quæ in Missa de Requiem recitantur, cum ex significatione tum ex Ecclesiæ institutione, referuntur ad mortuos. *Ti neosuffragia mihi post mortem heredum incuria defutura.* Missas ab Ecclesia pro viuis institutas tibi cura applicari viuenti. Fagund.

64. Scio sacram congregari nem Cardinalium Concilij Tridentini interpretum auctoritate Urbani VIII. anno 1625. statuisse, vt Sacerdotes tot omnino Missas celebrarent, quot ad rationem attributi stipendij præscripta fuerint. Item exposuere, non posse Sacerdotem, qui certam eleemosynam accepit pro offerendo sacrificio, alteri sacerdoti minorem pro eodem offerendo præbere, parte aliqua sibi retenta. Hoc posito, quid iam de Doctorum placitis sentiendum? Non potest iam Sacerdos vnica Missa pro pluribus stipendijs paruis satisfacere, quod Suarius in 2. part. tom. 3. d. 86. sect. 4. asseruerat. Non potest pro vna Missa tot stipendia accipere, quot sufficiant ad se ac parentes, famulumque §. 5. De Missa stipendio

Vasq. lúmque sustentandum, & aliquos libros (si Theologus, aut iuris prudens) emendos. Imò (auctore *Vasquez in 3. p. tom. 3. d. 234. cap. 2.*) ante Congregationis decretum licitum non erat; quia sacrificium non est institutum ad Sacerdotis sustentationem, cui deseruit sufficiens patrimonium, aut beneficium antequam promoueat ad sacra. Non potest accipere duo stipendia pro Missa diei festi, aut applicando vni partem solitam, alteri verò partem suam. Non potest accipiens stipendium pingue, dare alteri tenue, quod *Vasquez citat. num. 4.* docuerat, asserens Sacerdotem dum ei datur stipendium pingue pro sacrificio ab ipso celebrando, acquirere dominium, & posse alteri Sacerdoti minus, sed iustum stipendium præbere; quia nulli facit iniuriam.

65. *Potest ne Sacerdos sacrificium offerre pro eo, qui primo daturus est stipendium?* Affirmat *Henriquez lib. 9. ca. 21. n. 1.* quia licet tale opus respectu nostri sit præteritum, est tamen respectu Dei præsens. At sacra Congregatio ex mandato Clementis VIII. die 15. Nouembris anno 1605. id improbauit.

66. *Ægrotat per aliquot dies Capellanus, tenetur ne per alterum interim celebrare?* Respondet *Gaspar Hurtado de sacram. d. 4. diff. 1.* negatiuè, quando Capellanus per mensis spatium ægrotauit; quia est breue respectu anni, & cum restator non explicauerit intentionem suam esse tam strictè obligandi, non debet pauper Capellanus eo tempore stipendio priuari, quo magis indiget, ad ægitudinis subleuationem.

67. *Capellanus, vel alius Sacerdos stipendio obligatur in tali Altari, vel Ecclesia Missam celebrare: potest ne alibi sacrificium agere?* Respondet *Fagundez pr. 12. lib. 3. cap. 9. num. 6.* non posse, & regulariter peccare mortaliter. At Capellanus, qui ter vel quater in anno in destinato Altari vel Ecclesia non celebrat, excusatur ob materiæ paruitatem, Minimè verò qui stipendium accipiens, vt celebret in Altari priuilegiato, in alio Altari cum calculo benedicto celebrat, Congregatione Rituum declarante.

§. 6. *68. Tenentur ne fideles Feria sexta in Parasceue incidente De Missæ Annunciationis Festo illud audire officium, in quo sacramentum se audi- præconsecratum absuntur?* Afferit *Vasq. in 4. p. tom. 3. n. 232. rione. c. 2. n. 18.* non teneri; quia Missa non est.

Vasq. *69. Sufficit ne Missa Natiuitatis, qua coram summo Præsule illa nocte à Cardinali celebratur, ad præcepti satisfactionem?*
Lugo. Sufficere afferit *Card. Lugo de Euchar. d. 15. sect. 2.*

Examen XI. De Missa circa Prac. I. Eccl. 183

70. Scio satis esse ad precepti impletionem, sacro moraliter interesse: Rogo, an moraliter intersit sacro, qui manet in atrio Ecclesia, vel in alio loco sufficienti, ut inter illos, qui in Canone circumstantes dicuntur, numeretur? Sufficit ex sententia Gord. Gord. doni tom. 2. lib. 6. q. 7. c. 2. §. 3. v. 12.

71. Sufficit ne adesse in finestra, qua sit è regione Altaris? Non; quia non interest moraliter. Fillucius tom. 1. tract. 5. Filliuc. cap. 7. num. 2. 9.

72. Excusantur ne surdi, aut cæci? Minimè; quia necessarium non est audire, aut videre, sed sufficit personaliter interesse. Fagund. pr. 1. lib. 2. c. 7. num. 3. Fagund.

73. Dixisti, posse quem partem Missæ ab uno, partem ab alio sacerdote exau ire: Rogo, an possit prius pars Missæ posterior audiri & postea prior? Afferit Turrianus select. t. 2. d. 16. Tur. dub. 7. quia præceptum quoad substantiam impletur, & solum inuertitur ordo, quod in satisfactione Horarum Canoniarum dicemus non esse mortale. Potest ne simul & eodem tempore audiri, quando ex duobus sacerdotibus unus Missam inchoaret, alter consecrationi daret operam? Afferat Hurtad. de sacram. tom. 2. de Missa, d. 5. diffie. 4. quia (ut Azorius p. 1. lib. 7. c. 3. q. 3. ait) potest quis ad utrumque sacerdotem animum intendere. Vnde aliquis docuit probabiliter ex præcepto, ex voto, ex pœnitentia iniuncta obligatum tres Missas audire, satisfacere, si simul à tribus sacerdotibus eodem tempore celebrantibus audiat. In prima editione tr. 1. exam. 11. num. 93. dixi: Colligo posse te breuissimo temporis intersitio Missam audire, si quatuor v. gr. altaribus varia Missæ proportionata temporis anterioritate celebrentur. Hoc quidem addidi non quia id affirmem esse verum, sed quia ex sententia affirmante posse implere præceptum duabus medietatibus simul auditis, id colligitur apertè: contrarium enim ex hac sequela ab inconuenienti arguens Problem. moral. meo Vol. 6. affirmo. Azor. Hurt.

74. Requiritur ne solum ad implendum præceptum mentalis presentia, an corporalis sufficit? Consulenda mentalis, sed afferunt Gaspar Hurta lo de sacr. tom. 2. de sacrif. d. 5. diffie. 2. & Coninch q. 83. n. 6. v. 197. Sufficere corporalem, dummodo licet mente distrahatur, corpore reuerenter assistit, & cum debita externa attentione. Hurt. Conin.

75. Datur puritas materis in Missæ auditione: sed quonam modo hac sit determinanda? Coninch de sacram. q. 83. n. 6. dub. Conin. vni. n. 285. Ab initio vsque ad Euangelium exclusiue. Henr. Henric. riquax lib. 9. c. 25. n. 7. vsque ad Euangelium inclusiue. Con-

- Lugo. firmat nouissimè *Card. Lugo de Euch. d. 22. sect. 1. n. 3.* quia valde probabile, non teneri fideles duo Euangelia audire, cum possint, data benedictione, recedere. Ergo audito ultimo
- Laym. Euangelio Ioannis satisfaciunt. *Layman. lib. 4. tract. 7. c. 3. n. 3.* citat Amalarium asserentem, haud esse grauis culpæ dammandos, qui ab offertorio vsque ad benedictionem interfint. Quod minimè admittendum.
76. *Excusantur ab auditione sacri infirmi, qui priuilegium habent audiendi Missam in Oratorio domus? Non;* quia hoc priuilegium à iure communi derogatur, & non potest inducere obligationem. *Suar. in 3. p. q. 83. a. 6. d. 88. sect. 6.*
- Suar. 77. *Quis excommunicatus est, & Missam audire non potest: rogo, an teneatur ex vi huius precepti reconciliari, & fieri habilis ad audiendum? Non;* quia non obligat præceptum hoc ad tam remotam dispositionem. Quid si culpa sua excommunicatus maneat, quia non vult reconciliari? Adhuc
- Laym. non teneri affirmat *Layman. lib. 2. tract. 5. p. 2. cap. 2. num. 3.* Sicut qui culpa sua detinetur in vinculis, & non vult soluere quod debet, peccat contra iustitiam non soluendo; sed non peccat non audiendo sacrum.
78. *Peccat qui die Dominico, vel alio festo celebrat aliam Missam voluntariam? Suarius* affirmat non peccare mortaliter.
- Fagund. Item ex doctrina *Fagundez* qui certis diebus debet dicere Missam, v. g. de B. Virgine, potest illis diebus dicere aliam in Missali præscriptam, etsi pro dicenda illa Missa stipendium accepisset.
79. *Sacerdos celebrans non obseruat vnam aut aliam Missalis rubricam: peccat ne lethaliter? Non;* quia non obligant sub mortali. Secus si nullam seruaret, aut in rebus substantialibus Sacrificij delinqueret. Sic *Fagundez*. Hinc colligo non peccare mortaliter qui aliis diebus Missam de B. Virginis Assumptione, Natiuitate, &c. dixerit.
- Fagund.
80. *Est ne anxietas, aut cura exactissima necessaria circa infusionem aqua in calicem? Minimè;* quia ex doctrina *Conin.* & aliorum licet plures guttas infundat, aqua, quæ ante consecrationem non est in vinum conuersa, immediatè in Christi sanguinem conuertitur in ipsa consecratione.
- Conin.
81. *Potest ne Sacerdos in casu necessitatis cum stola, manipulo, aut cingulo non benedictis celebrare? Suarez* posse sentit, imò etiam sine aliquo ex iis. Addo posse celebrare in Calice & patena nondum consecratis, & cum vestibus nondum benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis antea celebrauit quia in prima celebratione iam fuerunt consecrata.
- Suar.

82. Si extra Ecclesiam sine iusta causa celebrares? Mortaliter ex Filiiuſij ſententia delinqueres.

83. Peccat ne tripliciter Sacerdos celebrans indignè, ſcilicet conſecrando, offerendo, & ſumendo Chriſti corpus? Minimè (ait Henriquez;) quia tres iſti actus ſunt ſibi inuicem ſubordinati. Imò cum Vaſquez affirmo Sacerdotem excommunicatum non præmiſſa confeſſione celebrantem ſcientem planè ſe adſtringi peccati, & cenſuræ vinculo, duplex peccatum non committere.

84. Poſteſt quis vii ſtola pro cingulo, & manipulo pro ſtola? Suarius reſpondet affirmatiuè. Imò ex Azorio ex duplicata ſtola vel caſula poſſunt fieri duæ, & ex ſtola cingulum ſine alia benedictione. Addit. Suarius fracto cingulo, partem adhibendam ſi ſufficit, non neſtendam cum alia; quia benedictionem amittit. Si verò antequam omnino diuidatur, reſicias, vel aliquo modo connectas, ad vſum ſufficere.

85. Poſteſt ne quis ob vitandam mortem ſine veſtibus celebrare? Saa affirmat; quia Eccleſia cum tanto periculo non obligat.

86. Circa corporalium ablutionem quid? Lauant illa Diaconi, vel Subdiaconi, itémque Purificatoria: & prima ablutio mittitur in piſcinam. Porro ſemel ita lota poſſunt tradi monialibus rurſum lauanda, & reſicienda. Saa ex Suario.

87. Quonammodo variis caſibus in Miſſa celebratione accideret ſoliti occurrendum? Ex Suario, Azor, Tolet, Saa & aliis reſpondebo. Si aduertus hoſtiam conſecratam eſſe corruptam? Aliam conſecra, incipiendo à Qui pridie, vſque ad ſimili modo excluſiuè; deinde ad locum tranſeas quò perueneras; tandemque illam hoſtiam corruptam poſt ſumptum calicem ſume, vel ſerua.

88. Si ſumpta hoſtia, aquam eſſe pro vino in calice poſitam deprehendam? Si in publico es loco, infunde vinum veluti ad ablutionem & clam conſecra, & ſume; quod ſi in priuato loco adſis, nouam hoſtiam etiam ſume, & conſecra incipiendo à Qui pridie. Aquam verò mitte in piſcinam, quæ ſolet eſſe propè altare: Quid ſi pergamiſſa Miſſa, & iſta ex ignorantia, aut perturbacione omittam? Non delinquis mortaliter.

89. Cœpta Miſſa recordor, me non eſſe ieiunum, aut irregularem eſſe, aut in mortali peccato: quin tunc? Si non eſſe ieiunum te recordaris, perge, ſi alioquin ſcandalum ſequeretur: ſi aduertis te irregularem, aut excommunicatum, pergendum tibi, nec ideo irregularis ſies; ſi in peccato graui te deprehendas, contere, nec Miſſam omittes, etiam ſi poſſes ſine ſcandalo.

90. *Venenum in vino consecrato adesse cognosco.* Aliud consecra, & illud stupa collectum, & siccatum comburatur, & cineres in piscinam immittantur.

91. *Hostia ab animante comeditur.* Si potest extrahi, seruetur, donec corrumpatur, animal verò combustioni detur, & in piscinam mittantur cineres. Itidémque videtur faciendum, si quis euomat Eucharistiam.

92. *Haeret hostia calici, aut palato.* Toties adhibeatur ablutio, donec deglutatur.

93. *Post ablutionem apparent reliquia, aut particula consecrata.* Si non possunt facillè asseruari, sumi possunt à Sacerdote, dum adhuc est in altari. *Sanguis excidit.* Si supra tabulam lambe, & rade: si super mappam, fuge, & laua, deinde rasuram, seu ablutionem in piscinam immitte.

94. *Venensum animalculum in sanguinem incidit.* Si deglutiri non possit sine periculo, aut horrore, extrahatur, & comburatur, cineresque dentur piscinae.

95. *Quid si aliquo euentu Missam absolueri non valeam?* Si nondum consecrasti, perfici potest per alium ieiunum Sacerdotem: si consecrasti, & nondum communicasti, potest, imò debet alius etiam non ieiunus, si ieiunus non adsit, non autem excommunicatus, aut suspensus, aut irregularis. Quod si desit, qui perficiat, sequenti die sumatur ab ipso in alia Missa Sacramentum.

96. *Potest ne Sacerdos, dum accepto stipendio pro alio celebrat, partem sacrificij sibi conuenientem alteri applicare, & pro ea stipendium accipere?* Possit sentit *Filliuc.* dum non tanquam pro integro sacrificio, sed pro parte, ut pro vna tertia accipiat.

97. *Dixisti, non posse Sacerdotem Missam offerre pro primo, qui dederit stipendium, quòd damnatum sit ex Cardin. decreto. Quid quando ex alius Capellae fundatione statuta Missa sunt singulis hebdomadis celebranda? Potest Sacerdos antecedente hebdomada illas celebrare, quia sacrificium certam sortitur applicationem.* Ita *Reginaldus.*

98. *Certam eleemosynam pro celebranda Missa accipi, non possum alteri celebrandam committere, parte eleemosynae mihi retenta; si accipi, ut dicendas Missas curarem per alios, at si accepissem certam summam pro Missis à me dicendis, possunt alios pro minori pretio conducere, qui adiuuent, & reliquum mihi retinere. Profecto post hac, Congregatio Sacra Curia, id fieri posse prohibuit? Ut vidimus. Ego equidem existimo hoc decretum non extendi ad Capellas, quibus pingue stipendium est addictum; neque enim tantum datur pro Missis dicendis.*

99. *Quid*

Examen XI. De Missa circa Prac. I. Eccl. 187

99. *Quid si ab amico accepi pingue stipendium pro celebranda Missa? Si intuitu amicitiae accepisse probabiliter videaris, poteris per alium Sacerdotem satisfacere, dato ei iusto stipendio: sin accepisti praecise, & simpliciter pro Missa, nil tibi debes retinere, nisi Sacerdos, cuius opera usus es, sponte id condonet.*

100. *Quis pluribus debet Missam non ex stipendio accepto, sed ex liberali promissione: potest ne unica pluribus satisfacere? Affirmat Hurtado; quia fructus ex opere operato, quem sol-* Hurtad.
lum illis debet, aequalis obuenit singulis, ac si vni tantum applicaretur.

101. *Quanam rationabilis causa, aut legitimum impedimentum Missam non audientem excusat? Ex Azorio & aliis, si* Azor.
herus impediatur, si foemina prodeundo est alicui obnoxia peccato, aut alicui occasio delinquendi. Item consuetudo puellarum quae non solent egredi domo, custodia domus, aut gregis, aegroti instans ministerium, pudor ob vestem non decentem, & Ecclesiae distantia respectu cuiusvis debilis.

102. *Tempore interdicti habeo privilegium Sacrum audiendi: teneor ne? Non teneris; ne privilegium grauari videatur potius, quam leuari a praeccepto. Suarius sic.* Suar.

103. *Transiens per locum, ubi Festum particulare celebratur, tenetur ne Sacrum audire? Minimè; secus est, si inde recedat, aut eo accedat, vti Saa docet v. Missa.* Saa.


104. *Sufficit ne in die Natiuitatis vnam Missam dicere, aut audire? Ita planè, ex Suario. Qui autem vnam solummodo* Suar.
Missam dicere decernit, eligat quam maluerit.

105. *Potest ne audiri Missa publici concubinarum? Si non sit denunciatus excommunicatus, posse Suarez asseruit.* Suar.

106. *Qui die Dominica, in Festum Sancti alicuius incidit, Missam non audit: debet ne illam circumstantiam in confessione aperire? Vasquez negatiue respondet; quia haec transgressio praeccepti Ecclesiae vnam tantum habet malitiam.* Vasq.

107. *Audit quis Sacrum animo non satisfaciendi praeccepto: satisfacit ne? Ita planè ex Vasquez assertionem.* Vasq.

108. *Tempore praefationis quis venit ad Sacrum audiendum, quod vnicè celebratur: tenetur ne illam singularis Missae illius partem audire? Sanchez, & Suarius teneri asserunt, quod illa Sanch.
praecipua sit sacri pars. Ego autem probabiliter assero non* Suar.
teneri; qui per illam partem Missae non potest implere praecceptum.




EXAMEN XII.

De Legibus in particulari, circa præceptum
secundum & tertium Ecclesiæ de
annua Confessione, &
Communione.

CAPVT PRIMVM.

De Confessionis Præcepto.

1.  *Quotuplex Confessionis Præceptum? Duplex, & diu-*
inum, & Ecclesiasticum. Confessionis enim præcep-
tum de iure diuino positum in noua lege a
Christo latum est; cum eius necessitatem in sola

Sacerdotum absoluendi à peccatis potestate conclusit: ideo-
que nec in eo dispensare, neque illud abrogare potest Eccle-
sia. Posset tamen Confessionis præceptum ipsa proferre etiam
si à Christo non fuisset impositum, à Christo tamen eius in-
stitutione supposita.

2. *Quinam ad præceptum diuinum Confessionis obligantur?*
Fideles omnes adulti, qui recepto baptismo lethali-
ter deliquerunt: infideles, & infantes, quique rationis capaces non
sunt, minimè.

3. *Quodnam obligationis tempus?* Vt minimum articulus
mortis esset, si paulo antè non esset impletum. Scio probabi-
liter defendi obligare quarto vel quinto quoque anno, nisi
iam ab Ecclesia annua confessio esset imperata. At probabi-
lius cum Filiucio & aliis assero, nisi determinaret Ecclesia
ad solum mortis articulum eius obligationem pertinere. Per
accidens autem tum Eucharistiæ susceptio tum indulgen-
tiæ acquisitio, quæ confessionem exigeret, tum votum, gra-
uissimè tentatio, quæ alia ratione tolli non posset, obligatio-
nem induceret.

4. *Impletur ne præceptum hoc per Confessionem quocumque
modo nullam?* Minimè, at bene per validam, licet informem,
quia hæc confessio est, illa nequaquam.

5. *Quidnam de Ecclesiastico præcepto?* Additum est quidem
Ecclesiasticum præceptum obligans ad confessionem semel
in anno, quo diuinum determinatum est ad certum tempus;
vnde

vnde quatenus à diuino iure pendet, abrogari non potest: vnde verò ab Ecclesijs prorogari tempus, vel restringi posset, ita omnino etiam tolli iusta de causa, quæ tamen vix dari posset, remanente semper obligatione ex iure diuino.

6. *Obligat ne in anni parte determinata? Vi sua non obligat, v.g. Paschate: consuetudine tamen, & ob commoditatem ratione Eucharistiæ eo tempore sumendæ inductum est, vt eo tempore fideles ferè omnes confiteantur. Porro annus computatur à Quadragesima in Quadragesimam, & annus Ecclesiasticus nominatur.*

7. *Eo tempore non impleri, absoluitur ne obligatione? Probabile est expectare te posse vsque in alteram Quadragesimam sine nouo peccato: probabilius tamen; quod primo quoque tempore teneas. Num ita qui confessus quidem est, sed aliquod peccatum omisit, aut ex obliuione, aut alia rationabili de causa? Minimè; potest enim ad sequentem annum vsque differre. Quid si prouideatur fore, vt occasione illa omissa toto anno non possim confiteri? Debes eiusmodi tempus prouenire*

8. *Quanam causa ab impletione præcepti excusant? Primò impotentia tum physica, quia confessoris copia non sit: tum moralis, quia sine graui nocumento famæ, vel alterius boni non possit: quæ causæ etiam valent in excusando à præcepto diuino; modò damnationis morale periculum non adsit. Necessitas confitendi per interpretem excusat ab Ecclesiastico præcepto, & etiam à diuino, licet articulus mortis subesset; si tamen probabilem existimationem haberes te non esse contritum, vt eo medio iustificari posses, obligaberis. Quod multò magis de Confessione per Scripturam, quando aliter quis non posset, affirmo; teneretur enim saltem in articulo mortis ea ratione confiteri, cum præsertim manifestationis periculum, adhibita diligentia, caueri facile possit.*

9. *Satisfacit ne præcepto Ecclesiæ informi confessione? Ita equidem, vt proximè de præcepto diuino affirmati.*

10. *Quinam obligantur? Fideles omnes cum ad vsum rationis peruenerint. Num Papa? Quo ad vim directiuam, maximè; vt autem iure diuino obligat, etiam Papam comprehendit & alios.*

11. *Num ulla transgresseribus pœna? Nulla posita, quæ ipso facto incurritur, sed iubentur tantum ab Ecclesiæ ingressu & ab Ecclesiastica sepultura repelli.*

CAPVT II.

De Præcepto Communionis.

12. **Q**uo iure Eucharistia sumenda? Et diuino, & Ecclesiastico. Diuino quidem iure aliquotiesⁿ vita sumenda Eucharistia, in fine scilicet & exitu huius vitæ; in ingressu, quando iam rationis vsus aduenit, circa duodecimum frequentius annum; in medio denique vitæ quarto videlicet, vel quinto anno, vt probabile affirmo. Perfectò Ecclesiastica lege omnis fidelis perfectò rationis vsu pollens tenetur semel in anno in Paschate communicare coarctato iam ad singularem quotannis Communionem præcepto diuino.

13. *Quònam tempore instat præceptum?* In Paschate, nempe à Dominica in Palmis vsque ad Dominicam in Albis, alicubi planè ad proximam sequentem Dominicam producto tempore. Consuetudo attendenda.

14. *Si hoc tempore quis omittat quacunque de causa: numquam primum ad Eucharistia sumptionem obligatur?* Probabile est vsque ad proximum Pascha liberum remanere.

15. *Quid si indignè communicem?* Imples tamen per voluntariam susceptionem præceptum, id quod immediatè imperat Ecclesia.

CAPVT III.

Praxis circa materiam de annua confessione, & Communionem ex Societatis IESU Doctoribus.

§. I. De annua confessione.

16. **L**igari incipiunt (vt vidimus) pueri post septennium, quando nimirum rationis vsus in eis viget, annua confessionis præcepto: num antea si rationis vsus maturius elucescat? Non, quia id per accidens, ad quod Ecclesia non respexit. *An teneantur hi in articulo mortis?* Ita planè, in quo si dubium sit de rationis vsu, & aliquod peccatum confiteantur, sub conditione debent absolui. Cessat enim per conditionem iniuria Sacramenti, & pars tutior pro pueri salute eligitur. *Incurrunt ne ante annos pubertatis synodalem quorundam*

dam Episcoporum contra omittentes confessionem annuam ex-
communicationem. Affirmat Hurtado de sacr. d. 7. de pœn. dif- Hurt.
fic. 9. quia capax culpæ puer, capax pœnæ. Alij autem ex ex-
ternis probabiliter contrarium affirmant; quia in pueris re-
linqui solet inultum, quod in alijs progressionibus ætatis
humanæ leges ducunt seuerius puniendum. c. 2. de delictis
puerorum.

17. Quoniam modo annus præcepti est computandus? A Ia-
nuario ne in Ianuarium; quia annus absolute dictus sic compu-
tatur? Suarius in 3. part. tom. 4. d. 36. sect. 6. asserit à Quadra- Suar.
gesima in Quadragesimam computandum: aut à Paschate in
Pascha. Vasquez in 3. part. tom. 4. quest. 90. art. 1. dub. 1. Hinc Valsq.
ait, eum, qui in Ianuario præsentis anni confitetur, satisfacere
pro anno præsentis; & si in Decembri sequentis anni con-
fiteatur, pro illo etiam præsentis anno satisfacere.

18. Infra annum confessus sum, & in sequenti Paschate re-
perior agrotans; ac proinde non possum Eucharistiam recipere:
impellendus ne sum ad confessionis annua præceptum imple-
ndum? Non; quia Concilium non assignauit pro confessione an-
nuæ tempus Paschale, sicut assignauit pro annua Communione. Laym.
Layman sic lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 10. Addens non gra-
uiter dilinquere, qui ex iusta causa annuam confessionem ad
tempus modicum ultra annum differt: v. gr. à Paschate Pen-
tecostem.

19. Confessus sum Ianuario, tenebor ne iterum in Pascha con-
fiteri, si noua mortalia commissus sum, aut recordor grauis; culpa
oblita? Non, nisi communionis gratia, aut mortis occasione,
quia dum Ianuario confessus es omnia mortalia, quæ memo-
ria retinebas, præcepto satisfecisti. Gaspar Hurtado de pœn. Hurt.
diffic. 11.

20. An teneat ad annua confessionis præceptum, qui solum-
modo venialium piaculorum conscius sum? Negatiuè respon-
det Becanus de sacr. cap. 36. quest. 6. num. 3. quia hæc de iure Becan.
diuino non tenemur confiteri; Ecclesia autem præceptum
diuinum ad certum tempus determinauit, non fecit no-
uum.

21. Mortalis criminis me reum agnosco, sed eius, quod iustus
de causa non possum confiteri: teneor ne ad annuam confes-
sionem? Negat Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 18. Attamen Laym.
ego venialia peccata aperirem, vt à peccatis grauibus, quæ
ritè subiteo, tunc indirectè absolueret, donec possem cessan-
te causa, expressè confiteri.

22. In principio anni confessus sum sola venialia, postea
ansem

autem mortale crimen perpetravi: teneor ne intra eundem annum iterum confiteri? Teneris, quia Ecclesia tantum precipit mortalium confessionem. Hurtado citat. d. 7. de pœn. diffc. 11.

23. Si ad finem anni, id est ad Pascha differo confessionem, scio manifestum obliuiscendi peccata periculum incurrere: teneor ne confiteri ante anni terminum? Aliqui asseruere. At cum Turriano de pœn. quest. 6. art. 2. d. 19. dub. 6. puto non teneri; quia non tenemur ad integram confessionem peccatorum quæ fecimus, sed quæ recordamur, dum confitemur. Alioqui tenerer sæpe infra annum confiteri; quia regulariter vix possum vnus integri anni criminum recordari.

24. Timeo, quod in anni termino, quando urget præceptum, confessarij copia non aderit: debeo ne annuam confessionem præuenire? Asserit Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 4. quia per totius anni decursum viget præceptum confessionis. At non approbo, quod addit, scilicet dicendum de præcepto communionis in Paschate; quia assignatum est ei tempus Paschale. Azor. tom. 1. lib. 17. cap. 41. quas. 15.

25. Annus præterijt, nec confessionis præceptum impleui: teneor ne quamprimum confiteri? Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 3. num. 54. approbat negatiuam sententiam; quia præceptum affirmatiuum obligat pro certo tempore determinatè. At probabiliorem reputo contrariam; quia annus assignatur, vt non prætereatur confessio, non verò, vt eo præterito, cesset obligatio præcepti.

26. Tenetur ne excommunicatus absolutionem procurare, vt valeat confiteri? Asserit Layman lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 38. quia ob culpabilem negligentiam præcepto implendo aptus non redditur.

27. Satisfacere ne possunt huic præcepto inualidè confitentes? Negat Suarius in 3. part. tom. 4. d. 36. sect. 7. num. 3. quia Ecclesia non præcipit aliam confessionem ab ea, quam Deus fieri indicit; Deus autem veram ac validam præcipit confessionem. Addit Henriquez. lib. 4. cap. 4. §. 1. facientem confessionem voluntariè nullam non quidem Ecclesie præcepto satisfacere: ab excommunicatione tamen contra tale præceptum transgredientes latam, liberari. Porro probabiliter asseritur inualida confessione præcepto satisfieri, quia Ecclesia non internos actus potest præcipere, sed solum externum confessionis.

28. Præcipit Pæsis V. in Bulla super gregem, ne Medici ultra

ferantur

Examen XII. De Conf. &c. circa Prac. II. Eccl. 193

tertium diem agrotum visitent, nisi de illius Confessione per Confessarii chirographum certi fiant. Scio in Doctoratu à Medicis exigi iuramentum hanc constitutionem seruandi: rogo igitur, quandoam Medici teneantur de Confessione monere? In graui morbo, & tunc non per se ipsos. Nec tenentur impenitentem deserere; quia Pontifex nihil frustraneum præcipit. Sanchez sum. tom. I. lib. 3. c. 16. num. 10. §. 11. At sufficit domesticorum testimonium, quod fit confessus æger; quia sic recepta est Præsulis summi constitutio, & hoc modo Medici iurant se eam seruaturos. Sanchez.

Sanch.

29. Num præceptum Communionis annua liget impuberes? Afferuit Palus tom. I. tract. 3. d. 1. p. 24. §. 2. n. 7. quia c. omnis, de pœn. utrumque præceptum imponit absque vlla distinctione, nec minor discursus ad confessionem, quam ad communionem requiritur: imò maior ad confessionem, cum culpas, ac præcepta oporteat distinguere. At Vasquez in 3. p. tom. 3. d. 214. c. 4. n. 28. negauit; quia plus discretionis communicatio requirit. Vnde aliqui docent pueros non teneri ante duodecimum annum communicare.

§. 2.
De annua Cōmunionem
Pal.
Vasq.

30. Fatuus communicatio non permittenda extra moris articulum an permittenda semifatuis, v. g. Æthyopibus imperfecto rationis usu pollentibus? Henriquez lib. 8. cap. 42. num. 3. Palchatis Communionem permittit eis, excluso irreuerentiæ periculo.

Henriq.

31. An surdo, & muto à natiuitate danda? Si sciant scribere tenentur recipere; quia possunt Eucharistiæ mysterium scriptura callere. Non sciunt. Etiam tenentur Sanchez auctore de Matr. tom. I. lib. 4. c. 8. n. 12. quia huiusmodi homines plerumque perspicacis ingenij sunt, & facile per nutus & signa quæcumque percipiunt. Tenentur ad Confessionem per nutus & signa, ergo ad Communionem; quia non minus difficilia ad Confessionem prænosceda sunt, quàm ad Cōmunionem.

Sanch.

32. Tenetur ne excommunicatus querere absolutionem, ut in Paschate præceptum communionis impleat? Afferit Layman. lib. 2. tract. 5. p. 2. c. 2. n. 3. Vnde si absolutionem negligeret, lethaliter delinqueret contra præceptum.

Laym.

33. In Paschate non accedi Eucharistiam: teneor ne communicare quàm primum? Ita quidem ex aliquorum mentes; quia terminus anni non assignatur ad obligationem finiendam, sed ut non liceat illam differre post annum: & in contractibus non ideo excusatur à solutione, qui tempore non soluit statuto. Addunt huiusmodi hominem non communicando semper peccare, & grauius, quo diutius non communicat. Ast

N Card.

Lugo.

Card. Lugo de Sac. Euch. d. 16. sect. 4. n. 4. tenet talem esse obligatum ad communionem, negat nouam indies culpam semper contrahere.

34. Scio Eucharistiam necessariam in articulo mortis ex precepto diuino, cui non fit satis per communionem factam ante periculum, & non per modum viatici: Rogo, si mane quis communicauit ex deuotione, & post meridiem incidat in periculum eadem die decedendi, teneatur rursus viaticum accipere.

Hurt.

Affirmat Gaspar Hurtado de Euch. d. 10. diff. 2. quia preceptum diuinum præponderat Ecclesiastico de non communicando nisi semel in die, & ieiunè. Probabilis tamen contraria sententia. Plura Tract. 7. de Sacram.

35. Non confessus proximo elapso anno, confessus sum initio sequentis: postea aliquod peccatum mortale commisi: rogamus teneatur etiam illo anno rursus confiteri? Ex doctrina Hurtado censo non teneri, quando initio sequentis anni confessus, peccatum mortale illo sequenti anno commissum addidisti.

36. Adhuc dubium habeo circa puerorum aetatem, ad Eucharistiam recipiendam: annum assigna. Ego equidem cum pluribus ex Societate nostra assero perfectiorem usum rationis requiri ad Communionem, nec posse statui certam aetatem, cum quiesdam pueris usus rationis antelucanus adsit, quiesdam signior procedat; plerumque ab anno vndecimo ad decimum quartum sese rationis usus manifestat.


Saa.

37. Possunt ne Laici qui regularibus seruiunt propria in Ecclesia Regularium communicare? Propria in Parochia, in Paschate communicare debent. Saa ita ex Cardinalium Congregatione.

Valent.

38. Quoniam circa hoc Mendicantes privilegio gaudent? Possunt quibusuis dare Communionem vno excepto Resurrectionis die. Possunt & illo cum licentia Parochi, aut si communicaturus alio die Parochiæ satisfaciatur. Valentiam lege.

39. Possunt ne Regulares in die Paschatis ad implendum preceptum annua Communionis, peregrinis, & aduentus Eucharistiam ministrare? Ita placet; quia nulla Parochis fit iniuria. Sic Sanchez. Imò & quilibet alij seculares quoad substantiam communicando apud Regulares satisfaciunt Ecclesiæ precepto.




EXAMEN XIII.

De Legibus in particulari, circa præceptum quartum Ecclesiæ de Ieiunio.

CAPVT PRIMVM.

Quid Ieiunium Ecclesiasticum?

I.  *Vid Ieiunium?* Abstinentia quædam voluntaria à cibo iuxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem. Id equidem maiorem (auctore *Filiucio*) quandam victus abstinentiam significat, quàm communis temperantiæ regula postulat.

2. *Quotuplex Ieiunium?* Triplex, Naturale, Morale, & Ecclesiasticum. Primo à quolibet comestibili & potabili perfectè abstinemus, quod Ieiunium ad Communionem requiritur; Secundo à vitiis: Tertium est fidelibus ab Ecclesia indictum; actus quidem Temperantiæ, & Obedientiæ: Religionis autem, Charitatis, & Iustitiæ non nisi imperatus. Eius commoda plura.

3. *Quanam ad Ieiunium Ecclesiasticum requisita?* Tria vnica comestio à certo ciborum genere abstinentia, & hora certa refectio. Ex his tribus morale quiddam Ieiunium est multis ex partibus integratum.

4. *Quid de vnica comestione?* De essentia quidem Ieiunij est. In secunda tantum peccatur mortiferè; quia ea tantum ad carnis mortificationem pertinet, in aliis probabile est venialiter peccari. Vespertina refectiuncula ex consuetudine licita est, etiam si ad somnum necessaria non sit, nec exigua; excusat enim consuetudo.

5. *Licet ne sumere refectiunculam manè, aut meridiè, dilata in vespere comestione?* Meridiè licet, manè minimè: at si adsit causa etiam manè licebit. Sine causa venialis culpa est: dispensatione etiam aliqui gaudent; quod si causa certa sit, non est dispensatio necessaria.

6. *De refectiuncula: qualitate, & quantitate quid sentis?* Absumi possunt arborum fructus, herbarum, leuiores cibi, panis, parum biscotti, non autem cibi, qui inter fercula adnumerantur ordinati ad sustentandam naturam, quales esseat pisces.

pisces. Scio equidem Azorium & alios pisciculos permittere, quod non improbarim si pauci sint, & ^{est} equalitatis, quo ad substantiam sustentationis inter fructus arborum adnumerari videantur, quales sunt qui apud nostrates vocantur *Bermejuelas*, & *Camarones*. De iusculis autem ex leguminibus & amygdalato non consentiunt Doctores. Permitto, si quantitas permissam frugum quantitatem non exæquet. Porro refectiuacula ex frugibus, pane & herbis seu aut ad summum octo uncias non debet excedere. In Natiuitatis Vigilia maiorem ex assignata ciborum qualitate quantitatem dedit consuetudo.

7. *Quanam ciborum absorptio ieiunium non frangit?* Præ gustatio ciborum, sumptio alicuius per modum medicinae aut ad debilitatem arcendam; ministrorum in mensa gustatio. Potus denique minimè ieiunium violat quicumque illi sit, si potus essentiam non excedat, & quod sumitur, non noceat.

8. *Quid autem de ciborum quantitate seruanda in ieiunio?* A carnibus necessariò abstinendum, ab ouis etiam & lacticipiis in Quadragesima, & ab iis quæ loci consuetudo non permittit. Scio alicubi consuetudinem induxisse lacticipia alibi etiam extra Quadragesimam abstinentiam ab ouis.

9. *Dispensatus ne ad carnes, est simul ad lacticipia?* Ita plenè: imò & ad duas comestiones; quia essentialis ieiunij conditio abstinentia à carnibus est, quidquid *Filliuc.* dispensatione respectiua affirmet.

10. *Potest ne dispensatus ad carnes, etiam pisces comedere?* Potest, & in eadem mensa, modò non fiat immoderatè. *Quid de pueris?* Ante septennium comedere carnes possunt, post illud uti Quadragesimæ cibus tenetur. *Oua obsunt ieiunio?* Non, unde dispensatus ad oua, non hoc ipso à ieiunio liberatur, quia oua licet carnis substantiam imitantur, caro tamen non sunt. In Iubilæo cum ouis ieiunans indulgentiam lucratur, & dispensatus ad oua, etiam est ad lacticipia, non ad sagimentum lardo, cuius usum scio alicubi paupertatem, aut ciborum penuriam induxisse. *Excusatus à ieiunio tantum potest ne carnes aut oua comedere, vel lacticipia?* Minimè.

11. *Quid denique circa horam comestionis?* Seruanda hora iuxta consuetudinem loci. Ea quidem de essentia ieiunij non est, sed requisita ad perfectum, & integrum ieiunium. Meridies est competens hora, qui moraliter computandus iuxta vsitata horologia: quod si horologium non sit, sufficit tempus ex consuetudine designatum.

Examen XIII. De Ieiunio circa Præc. IV. Ec. 197

12. *An mortale sit, horam notabiliter præuenire? Non, et si cauenda sub veniali huiusmodi præuentio: dimidia hora non videtur esse notabilis.*

13. *Quanam causa in præueniendo excusant? Tres equidem, consuetudo, dispensatio, & iusta causa.*

14. *Proprietas cibi ad vesperam licita ne? Imò commendabilior, ob maiorem corporis mortificationem.*

C A P V T II.

De Ieiunij obligatione.

15. **O**bligat ne Ieiunium iure diuino, an humano? Humano, ad mortale quidem, nisi paruitas materiae venialem reddat transgressionem.

16. *Delinquitur ne toties mortaliter, quoties in die comeditur? Minimè, nam in secunda comestione tantum lethaliter delinquitur. At comedens carnes pluries, toties peccat, quoties eas in graui quantitate absomit; quia hoc præceptum negatiuum, illud positiuum.*

17. *Si duplex titulus obligat ad ieiunium, inducit ne duplex peccatum? Si eiusdem rationis sit, non: si autem diuersa rationis, inducit, vt si ex obedientia & Religione quis obligetur.*

18. *Frangens vna die, tenetur altera ieiunare? Non, nisi ex voto vel penitentia obligatio insurgeret, in aliis ieiuniis vnus diei reputatur.*

19. *Quoties peccat, qui apud se statuit per totam Quadragesimam non ieiunare, aut in ea carnibus vesci? Vnicum peccatum committit, sed grauius admodum, in executione autem toties delinquit, quoties diem ieiunij violat, aut quoties in die carne vescitur.*

20. *Peccat ne qui causa est, vt alius non ieiunet? Quis dubitet? Vnde cibi ministrandi non sunt ieiunium fracturo, nec quibus familia tua ieiunium soluat; Caupo vetitos cibos apponere non debet: nec qui ieiunium non seruat inuitare ieiunantem, nisi vrbauitatis gratia fieret.*

21. *Quinam ad ieiunium obligantur? Omnes Christiani, qui sanæ mentis sint. Peregrini tenentur ad ieiunia loci, in quo habitant, etiam in quo versantur per aliquot dies. Absens non tenetur ad ieiunia suæ ciuitatis. Dilcedens à loco in quo non ieiunatur, potest etiam carnes comedere, scandalo*

excluso. Minores viginti & vno anno completo excusantur nisi aut voto, aut regula quis obligetur: maiores etiam sexaginta tribus, imò & sexaginta, in dubio de latione *valere*.

Iuris

22. *Quinam præterea à ieiunio excusantur?* Infirmi, prægnantes, nutriendi. Paupertas excusat, nec enim tenetur quis solo pane vescens ieiunare. Labor corporeus ad vitandum damnum, vel notabile lucrum. Præcedens vel futurus labor, v. gr. agriculturalium, qui die ieiunij à labore vacant. Pedites iter agentes: non sic equites in itinere breui, secus si longo, & de viribus dubitetur, aut si temporis ac itineris incommoda peditis laborem communem adæquent.

23. *Quid de laborante ad malum finem libidinis. v. gr.* Non potest ieiunium soluere vt vires colligat, ad crimen patrandum: sed post commissum, potest ad vires recuperandas lassitudini ieiunio soluto occurrere. Præterea opera misericordie excusant, redditio debiti, peregrinatio ex magna deuotione assumpta, exercitium concionandi quotidie, aut docendi.

24. *Quisnam in ieiunio dispensare potest?* Papa dispensare potest per totam vitam, Episcopus tantum cum suis subditis ad tempus. Iusta causa euidens sit, dispensatione non indiget. *Quid in dubio?* Superior dispense. Porro bona fide credens habere se iustam causam, non peccat: dubitans autem experiri tenetur: neque enim quis ex difficultate aut repugnancia à ieiunio excusatur.

CAPVT III.

*Praxis circa materiam de ieiunio ex Societatis
IESV schola.*

§. I. 25. **D**em ieiunij à media nocte in mediam noctem computari, certum est. Cœnans in carnibus pridie ieiunij dubitat, an media nox transacta sit: potest ne cœnam adhuc producere? Potest; quia possessio stat pro cœnante. Idem dubium subest cœnanti Sabbato in piscibus: potest ne carnes edere? Minime; quia possessio stat pro præcepto.

26. *Ad ieiunium quomodo media nox computanda?* Post primum ictum horologij mediam noctem pulsantis, non potest cœna in carnibus die Iouis continuari, & cœnans in piscibus Sabbato vesci carnibus potest. *Quid ad ieiunium naturalis?* Qui post primum ictum horatum aliquid degustaret, non

Examen XIII. De Ieiunio circa Prac. IV. Eccl. 199

non poterit manè Eucharistiam recipere. *Præpositus* i. i. q. 19. *Præp.*
art. 6. dub. 5. num. 8. Monet *Lugo de Euch. d. 15. sect. 2. num. 37.*
si horologium ante pulsam horarum quadrantes præmittat,
horum ad primum quadrantem duodecimam terminari.

27. *Vinum quis in sustentationem sumit, & ad sedandam
famem extra prandium: an frangit ieiunium?* *Asseruit Azor.*
rius part. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 4. At certum est ex communi
non frangere; quia vinum alit per accidens, Ecclesia autem
ea prohibuit, quæ per se alunt. Idem de Chocolate dix-
rim.

28. *Licet ne toties quoties frigidus sit potus hauriendus, ali-
quid, ne noceat, præsumere?* *Licet Azorius quæst. 7.* aliquos *Azor.*
cibos ab hac regula excipiat, Doctores modica in quantitate
omnem cibum permittunt.

29. *Famuli ministrantes in mensa, aut mensæ lectores
mox cœnaturi, cum vt melius seruiant, tum vt famem sub-
leuent aliquid prægustant, vel etiam ex reliquiis gulosè
comedunt: an solvunt ieiunium?* *Negatiuè Sanch. opusc. Sanch.*
tom. 2. lib. 5. c. 1. dub. 24. n. 2. & 3. respondet.

30. *Dixisti à mortali paruitate excusare materia: assigna
materia paruitatem.* *Duarum vnciarum, quæ est quarta pars
collationis.* *Turrianus summ. part. 1. cap. 256. dub. 27. nu-*
mero 2.

31. *An multa materia parua, ad constituendam notabilem
materiam continuentur?* *Distinguit Salas* i. 2. tract. 13. d. 16. *Salas.*
sect. 26. tunc comestunculas continuari cum per vnicum vo-
luntatis actum deliberantur. Non placet, sapientissimi Ma-
gistri mei venia; quia absque eo quod sint vnius volitionis
obiectum, sunt vnica vnius indiuidui, vnius diei, vnius co-
ctionis refeccio. Alioqui posset quis fraudare præceptum,
plures refecciones ad modum plurium paruitatum, & per
plures actus intendens.

32. *Scio frangentem semel ieiunium, non peccare sapius
comedendo, quia Ecclesia à secunda comestione solum præcipit
abstinere: rogo, an ea tem sit ratio, si quis vouisset in pane &
aqua ieiunare? Ita planè; nam si is semel vinum hausisset in
notabili quantitate, non teneretur ab illo amplius abstinere.
Quid si vouisset, nihil sumere præter panem, & aquam? Tunc
peccaret toties quoties.* *Sic Sanchez summ. tom. 1. lib. 4. cap. 11.* *Sanch.*
num. 25.

33. *Vnicam comestionem non debere esse continuam mathe-
maticè scio: sed sufficere, si moraliter continuetur: unde sur-
gens è medio prandio absque finiendi intentione, potest illud per
aliquod*

- Less.** aliquod interstitium perficere: rogo tamen quid si habuisset perficendi prandij intentionem? Respondet *Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 11.* ad comedendum, mutata intentione redire posse, si durat adhuc prandium. *Finitum iam est?* Restaurare illud potest, (si nondum sufficienter ederat ad ieiunium) infra quadrantem. *Filliucius tom. 2. tract. 27. p. 2. cap. 2. quæst. 10. num. 41.*
34. *An hora comestionis sit de essentia ieiunij?* Olim erat nona hora diei & tertia post meridiem, nunc vel undecima vel duodecima. Qui illam notabiliter anticipat, peccat solum venialiter. *Lessius citat. num. 13.* Aliquis asseruit adeo esse de essentia ieiunij horam, ut qui siue cum causa, siue sine causa anticipavit, amplius ad ieiunium non teneri. At cum *Laymano lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 4.* contrarium putamus, impeditumque ab itinere, ob quod manè comederat, teneri reliquum diei ieiunare.
- S. 2.** 35. *Si quis ex voto, aut obseruantia regulari ieiunare die Natiuitatis die Veneris incidente teneretur, non potest frui illius diei obligatione.* festiuitatis privilegio: rogo, si non id expressè vouisset, sed generaliter Veneris aut Sabbati promississet ieiunium, nihil de Veneri, aut Sabbato Natiuitatis determinans: an teneretur ieiunare?
- Molin.** Minimè, (*Molina tom. 2. de iust. d. 272. n. 3.* ait) quia non est verisimile hunc se ad communis lætitiæ diem obligare voluisse. *Fagundez autem pr. 4. lib. 1. cap. 6. n. 6.* votum docet sumendum esse iuxta receptum Ecclesiæ morem, dum certò non constat de intentione vouentis. At *Suarus de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 20. num. 7.* contrarium asseruit.
36. *Concurrunt in eodem die duo præcepta ieiunij: an duo peccata committat violator?* Si pertineant ad duas virtutes, duplex peccatum est, vnicum si ad vnicam, v.g. in die Veneris confluit vigilia. Frater Minor violans ieiunium, duplici piaculo illigatur, ex Religione ob Regulam, ex temperantia ob præceptum Ecclesiæ. At si vigilia in die Quadragesimæ celebretur, violans ieiunium vnico delicto fœdatur, quia vtrumque præceptum ad eandem temperantiæ virtutem spectat, *Vasquez 1. 2. tom. 2. quæst. 72. art. 6. dub. 98. num. 8. & 9.*
- Vasq.**
37. *An teneamur ieiunare, quando grauis tentatio urget & aliud remedium non obicitur?* *Antonius Ferdinand. de Cordoba part. 4. cap. 12. §. 6. num. 1.* asseruit etiam prægnantes cum periculo prolis teneri: quia salus spiritualis propria aliorum corporali saluti est præferenda. Non admitto, quia cum prægnans possit sese Sacramentorum vsu, ac oratione munire

munire contra carnis stimulos, non debet tantæ iacturæ pro-
lem exponere. Adde supponere gratis Auctorem alia reme-
dia ad sedationem huiusmodi motuum non suppetere cui-
libet. Adest oratio, elemosyna, in Deiparam pietas, vsus
Sacramentorum præsentissimum ad luxuriei stimulos medi-
camen.

38. Excusari dixisti omnes ante vigesimum primum an- §.3.
num: rogo an senes sexagenarij alias robusti ieiunare teneantur? Qui te-
Negat Granado 1. 2. contr. 7. tract. 3. part. d. 6. sect. 5. num. 39. neantur
quia robur senum solet illudere, & iterato indiget alimento. ieiunare.
Quid si vouisset perpetud ieiunare? Adhuc excusat senem se- Granad.
xagenarium Sanchez de Matrim. tom. 2. lib. 7. d. 32. num. 17. Sanch.
At Layman lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 2. non approbat. Rogo, Laym.
an sufficiat inceptum esse annum sexagesimum? sufficit, quia
in fauorabilibus annus inceptus pro completo reputatur.
Secus in odiosis, ideo non obligat ieiunium vsque ad annum
vigesimum primum completum. Teneaturne ieiunare die ipsa,
qua complet atatem? Licet hora prima post mediam noctem
compleuerit, non tenetur tota die ieiunare; quia præceptum
totum diem respicit. Dubito an compleuerim atatem. Non
teneris, pro te stante possessione.

39. Iubileum indicitur: lucrantur ne illud iuuenes sine iei-
iunio? Non (inquit Fagundez pr. 4. lib. 1. c. 8. n. 5.) quia gratia Fagund.
illa illi operi illigatur.

40. Dispensatione, carnibus vescor die ieiunij: debeone ie-
iunare? Excusaris (ait Lessius lib. 4. c. 2. dub. 6. num. 41.) quia Less.
ad fragilitatis refectionem confert non solum cibi qualitas,
sed etiam repetitio. Addit, si dispensatus es, eo quod alij
cibi tibi noceant, non excusaris ob contrariam rationem. Henriq.
Ego cum Henriquez lib. 7. c. 13. n. 12. absolutè à ieiunio li-
bero dispensatum ad carnes; quia abstinentia ab his est de
essentia ieiunij.

41. Licet mihi carnibus vesci, sed voto die Veneris ex deuo-
tione abstinere in Quadragesima: teneor ieiunare? Asserit
Sanchez opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 5. cap. 1. dub. 30. num. 2. excusa- Sanch.
baris, ideo quod ieiunio essenziale est à carnibus abstinentia:
ergo qui à carnibus abstinet, cur in reliquo violabit ieiu-
nium? contrarium asseruit Turrius. Turr.

42. Quinam ex labore excusentur à ieiunio, speciatim as-
signa. Porro Layman lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 3. liberata iei- Laym.
iunio figulos, argentarios, ferrarios, lignarios, fullones, se-
mentarios, coriarios, textores, pistores. Azorius part. 1. lib. 7. Azor.
cap. 17. quæst. 8. Sutores. Gordonus tom. 2. lib. 6. q. 18. cap. 6.
num. 11.

num. 11. versantes prelum Typographorum, non tamen typorum compositores. *An Sartores, & pictores?* Non excusat Layman. quia facilis labor. At Fagundez *pract. 4. lib. 1. c. 7. num. 15. & 16.* omnes artifices excusari existimat ex Eugeniij IV. priuilegio, siue declaratione. *Filiucius* non improbat.

43. *Excusantur ne concionatores totius Quadragesimæ, aut trium vel quatuor dierum, lectores Grammaticæ, confessarij debiles, & suo muneri assidui, Aduocati, Procuratores, Cantores, qui ex officio canendi victitant, & ieiunando redderentur inhabiles?* Arbitrio boni viri subiaccere debent ex mente Fagundez *p. 4. lib. 1. cap. 8. num. 19.* Ego Prædicatores totius Quadragesimæ, & rectores Grammaticæ qui quatuor horas ministerio (admodum laborioso) litant, nunquam non eximem à ieiunij obligatione.

44. *An iter agentes teneantur ieiunare?* Pedestres minimè, nec equestres incommodè, aut asperitate frigoris afficiendis, aut qui non inueniunt nisi panem, fructus, aut olera, quia ad prandium insufficientis apparatus. Ex Sanchez *opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 15. n. 3.*

45. *An defessus ex quocunque labore licito, vel illicito obligationi ieiunandi subiaccet?* In licito, v. gr. pilæ defatigatione; & in illicito, v. gr. cum fœminis commissione, aliqui asserunt delinquere, qui prauidit tali labore reddendum inhabilem ad ieiunium. Alij putant absolute liberandum à lege ieiunij; quia quo die obligat præceptum ieiunij, ieiunare non potest, quando verò laborabat licitè, aut illicitè, ieiunij præceptum non illigabat. Quid sit in ieiunij fraudem sese nimium defatigasset? Adhuc liberatur à docto; sed cum Azorio *tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 9.* huiusmodi laboris affectatorem ieiunij violatorem reputamus.

46. *Excusanturne ab Episcopalis ieiunij Regulares?* Ita planè; quia Tridentinum obligans ad festa Episcopalia Regulares, haud efficit de ieiunio memoriam. *Suar. de Rel. 4. lib. 4. c. 20. n. 8.*

47. *Dubitat Regularis, an possit ieiunare: autidnam geret dispensationem petat à Prælato, qui etiam sibi dubio potest dispensationem impertiri; quia non est deterioris conditionis, quàm subditus.*

48. *Scio Petrum paratum frangere ieiunium: possum ne eum ad cœnam inuitare?* Negat *Suar. de Charit. 4. 10. sect. 3. n. 2.* quia potest contingere, vt ille, te cœnam non exhibente, ieiunium non violet, aut inspiratione præuentus, aut occupatione

Examen XIII. De Ieiunio circa Prec. VI. Eccl. 203

tione impeditus. At *Petrus Hurtado de Mendoza* 2. 2. d. 173. sect. 12. §. 154. te excusat à crimine, si certus esses de futura ieiunij violatione, & illum inuitares cum expressa suppositione, quod alias vellet violare ieiunium, superatque aliqua iusta causa. v.gr. vrbalitas, &c.

49. *Famuli heris cibos vetitos ministrando, peccant?* Si heri ex ignorantia vetitis velci curaret, deberent famuli de errore monere. At violatori ieiunij ministrantes ex munere non delinquant; quia materialiter concurrunt ad ieiunij violationem. *Hurtado* 2. 2. d. 10. diff. 9.

50. *Peccant ne caupones ministrantes cœnam eis, quos norunt ieiunium violaturos?* Afferit *Toletus* lib. 6. cap. 5. At *Lessius* lib. 4. cap. 2. dub. 4. num. 24. distinguit. Aut possunt cœnam sine notabili incommodo abnegare, aut non. Si possunt, & non sunt illi aliàs cœnaturi, ex charitate tenentur: secus si nō possunt, &c. Monet *Sanchez* *Summ. tom. 1. lib. 1. cap. 7. n. 35.* con-

fluentes ad caupones plerumq; esse pauperes, operarios, viatores, quos probabiliter credere possunt à ieiunio excusari.

51. *Peccantne venditores ciborum prohibitorum?* Minimè; quia multi illos cibos licitè emunt, nec illis præceptum impositum est explorandi emptorum intentionem. *Fagundez* pr. 4. lib. 1. cap. 10. num. 10.

52. *Darvine possunt carnes pueris ante septennium si sint dolis capaces?* Possunt; quia accidentale est, quod in aliquo rationis vsus acceleretur. *Quid de paganiis?* Etiam, quia non tenentur legibus Christianorum. *Quid de amentibus?* cum pueris ante septennium computandi. *Sanchez* *Summ. tom. 1. lib. 1. cap. 12. num. 16.*

53. *Num pinguedo possit die ieiunij absumi ab eo, qui vitur lacticiij?* Afferit *Fagundez* pr. 4. lib. 1. cap. 2. n. 20. inter carnes non computari, sed inter oua, & lactinia; quia pinguedo ex *Aristotele* 2. de gener. non est caro. Fauet aliquorum Regnorum consuetudo. At in Hispania communiter ab vsu pinguedinis abstinemus. Absumatur igitur, vbi dederit consuetudo.

54. *Darvine in esu carniū materie parutas?* Ita planè sicut in præcepto negatiuo de non furando. Absque causa legitima veniali piaculo reus carnis parum absumis: cum causa non delinquis. v.gr. si coquus, aut ægroti minister cibos prægustes, si ad excitandum ægroti appetitum aliquid absumas, &c. *Sanchez* *opusc. tom. 2. lib. 5. c. 2. dub. 22. num. 10.* quia Ec-

clesia non intendit impedire aut rectam officij administrationem, aut charitatem.

55. *An consuetudo prohibens oua & lactinia quadragesimali*

Hurt.

Tolet.
Less.

Sanch.

Fagund.

§. 4.
De cibis
quibus
licet ve-
sci die
ieiunij.

Sanch.

Fagund.

Sanch.

malis

- Suar. *mali in ieiunio obliget sub mortali?* Affirmo cum Suario de leg. lib. 7. cap. 15. num. 13. sufficiens signum esse, sub mortali obligare consuetudinem, cum transgressores pœna afficiantur.
- Fagund. Ideo contra Fagundez asserentem pr. 4. lib. 1. cap. 2. n. 12. venialiter delinquere ovis aut lacticiinis vescentem, mortaliter peccare sentiendum. *Vrget etiam in Dominicu?* Affirmatiuè respondet Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 10. *An torcis peccat mortaliter, quoties oua, aut lacticia comedit?* Ita planè sicut carnum esu; quia est præceptum negatiuum.
- Henriq. 56. *Excusat necessitas eos qui alias epulas non habent?* Excusat. Sanchez opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 19. n. 6. permittit iter agentibus lacticia, quoties pisces non inueniunt.
- Sanch. 57. *Violat ne ieiunium, qui ovis aut lacticiinis in Quadragesima vititur?* Non, sed contra præceptum de abstinendo ab illis delinquit. Sanchez sum. tom. 2. lib. 4. cap. 11. n. 53.
- Sanch. 58. *Prohibentur ne oua, ac lacticia in alijs ieiunijs præter Quadragesimalia?* De iure communi non prohibentur. *An ex consuetudine?* Aliquis ex externis asserit. At Filiuc. tom. 1. tract. 27. part. 2. cap. 3. num. 49. docet talem consuetudinem (si alicubi recepta) ex deuotione introductam, nec obligare: tamen admonendum populum, ne ex erronea conscientia delinquat. In Hispania talis consuetudo quæ obliget sub mortali constare non potest; quia non adest præscriptio Quadragesima annorum ad eam legitimandam requisita.
- Sanch. 59. *Pono vigere in Regnis Hispania consuetudinem hanc: tenentur Regulares subiacere?* Negat Sanchez opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 21. num. 2. quia consuetudines laicorum non tenentur Clerici, aut Religiosi seruare. At Suarius de leg. lib. 7. cap. 17. num. 12. dissentit.
- Suar. 60. *Possunt ne lacticia in ieiunijs voti, pœnitentia, ac Iubilæi absumi?* Asserit Sanchez sum. tom. 1. lib. 4. cap. 11. quia hæc solum in Quadragesima prohibentur. Addit, si quis vouit ieiunare in Quadragesima, dubitat tamen, an voluerit à lacticiinis abstinere, vtentem lacticiinis non fieri reum voti violati, quamuis contra præceptum Ecclesiæ delinquat. Porro
- Sanch. §. 5. *De ientaculo, seu collatione.* cetera non prohiberi. Quo ad ieiunia autem ex pœnitentia asseruerim dici sequi proprietatem. Si in Quadragesima indicitur, abstinet à lacticiinis, qui priuilegio exemptus non est. Si in alio tempore, non tenetur à lacticiinis abstinere, sed communis ieiunij legibus subiici.
- Henriq. 61. *Ientaculi quantitatem assigna.* Docet Fagundez pr. 4. lib. 1.

Exam. XIII. De Ieiunio circa Prac. IV. Eccl. 205

lib. 1. cap. 4. num. 13. & 19. octo uncias posse permitti. *Filliuc.*
Filliuc.
cuius tom. 2. tract. 27. part. 4. cap. 3. q. 7. num. 33. extendit collationem ad quartam partem cœnæ ordinariæ. Si cœna ordinariæ duarum librarum pondus non superet, vera est *Filliucij* sententia; si excedat notabiliter, falsam omninò reputarim.

62. *Quid de Natiuitatis vigilia? Fagund. ubi sup. asserit sumi posse ientaculum duplo maius, nempe sexdecim unciarum quantitatem, plus, minusve. Sanch. in opusc. dub. 26. num. 1. Sauch. docet sumi posse duplo solita maiorem. Alij autem probabiliter de rebus ad ientaculum illud seruientibus sine limitatione continuè absumi posse opinantur. Adeo tamen, me auctore, habentæ laxandæ, vt ob solemnitatis licentiam, lex temperantiæ non lædatur.*

63. *Exprime iam ciborum qualitatem. Nec oua, vt aliqui ex externis asseruere, de quo Turrianus, esse ait doctrinam Turri. scandalosam, temerariam, & bonis moribus contrariam asseruere, licere pro collatione duo oua absumere. Porro Azorius pisciculos permittit paucos, vulgo Anchobas, Bern. e Iuelas, Camarones. Turrianus parum casei, aut lactis. Azorius idem p. 1. lib. 7. c. 9. q. 8. panem cum amygdalis coctum. Porro Sanch. opusc. tom. 1. lib. 5. cap. 1. dub. 25. n. 4. docet fieri non posse collationem cum caseo, lacte, vel cremore amygdalino.*

64. *Dixisti absentem ad ieiunia sui oppidi non obligari: potest ne quis aliò se conferre, vt ieiunium viter? Fag. posse responderet. Fagund.*

65. *Manè discessurus sum ex loco domicilij vbi est ieiunium, peruenturus vespere ad locum vbi ieiunium non est: possum ne sumere ientaculum in loco domicilij? Potes; quia peruenturus es ad locum, vbi licebit cœnare. Sic Lessius. Vesci ne carnibus Less. licebit? Minimè, licet vespere absumendæ alio in loco sint; quia obligatio abstinendi à carnibus toto die durat: at ieiunij secunda futura comestione proculdubio soluitur obligatio.*

66. *Robusta ne fœmina prægnantes aut lactantes excusantur? Less. excusari asserit. Non autem possunt ouis aut carne vesci. Less.*

67. *Dormire quis nequit nisi sumpta vespere cœna: tenetur ne ieiunare? Minimè. Si sufficit manè collatiunculam sumere, & vespere cœnare: tenetur ad id? Non tenetur; quia nemo tenetur pervertere ordinem refectio-num. Ita Filliucius.*

68. *Tenetur ne quis seruorum aut operariorum labores immi-nuere, vt possint ieiunare? Ex Fernand. & Fag. negatiuè respon- Fernad. Fagund.
deo. Itaque non tenetur quis eos solos operarios vocare, qui cum moderato labore ieiunare possunt. Nec peccat si seruis onus imponat cū ieiunio incompatible. Imò potest operarios conducere cū pacto, vt non ieiunent ne aliàs minus laborent.*

69. *Seruito*

- Sanch. 69. *Servitores & lectores ad mensam aliquid ante sumunt sine necessitate: solvunt ne ieiunium?* Non, ut Sanchez asserit, quia totum reputatur vnica comestio, quæ tunc inchoata paulò post perficitur.
- Suar. 70. *Dubito, num expleverim annum vigesimum primum. Non teneris ieiunare.* Ita Suarius.
- Sanch. 71. *Cœnans quis die Iouis dubitat an sit audita hora noctis duodecima: potest ne comedere carnes?* Potest, secus si die Sabati cœnaret. Ratio est, quia in priori est libertas edendi, nisi sit duodecima: in posteriori est obligatio non edendi nisi duodecima sit. Ita Sanchez.
- Filliuc. 72. *Anticipatur sine causa hora comedendi die ieiunij: solvitur ne?* Minimè; quia determinatio horæ non est de essentia ieiunij: at delinquetur venialiter nisi sit exigua anticipatio, ut dimidiæ horæ. Sic Filliucius. Colligo Religiosos habentes priuilegium anticipandi prandium per horam, posse sine vlla culpa per horam & dimidiam ante meridiem prandere.
- Azor. 73. *Ieiunans, à mensa exurgo propter aliquod occurrens negotium: possum, rursus rogo, mensam repetere ad continuandam refectionem?* Potes, si breue sit interiectum spatium. Sic Azor. Non approbo sancti sententiam asserentis id esse licitum etiam si spatium duarum horarum intercesserit, dummodo surrexerit à mensa animo reuertendi; id enim à secunda comestione non libero, nisi ita parum absumpserit prius, ut non possit comestio illa omnino subleuare naturam.
- Tann. 74. *Dixisti paruitatem materia à mortali excusare: assignasti materia paruitatem duarum unciarum. Num huiusmodi paruitas materia in esu carniū excusat à lethali crimine?* Assero cum Tannero non excusare, quatenus aduersari professioni fidei existimaretur, qui eo cibo vteretur die ieiunij, aut prohibitionis.
75. *Dixisti potum non violare ieiunium: an vinum assumi potest quoties quis voluerit, licet in magna quantitate?* Potest; immoderatio autem potest temperantiam violare, sed non ieiunium. Itaque quidquid potus est, ieiunium non soluit. Vnde potus ex vino, qui vocatur apud nostrates *Clarea*, seu *Hipocras* licet sit Indicis speciebus conditum, potus est; similiter mulsum, quod aqua melle, & speciebus Indicis præparatur, vulgo *Aloxa*. Lac autem licet alicubi pro potu absumitur ex vini aquæque defectu, potus verè non est, vnde ieiunium proculdubio soluit, non autem accidentaliter violaret, ubi pro potu necessariò adiiicitur.

76. *Quid de potione in Hispania, aut Occidentali India, dicta vulgo Chocolate?* Aliquando dixi pro potu haberi, sed parum meriti ieiunio relinquere ob vires, quas ieiunanti adicit omnino inedia sublata, aut impedita: nec absolute cuperem usum huiusce potionis uti mortificationis ieiunij ab Ecclesia intentæ apprimè aduersantem: at magis authoritati hærens, quàm rationi, potum esse assero, sed non uti condit abusus, sed quemadmodum potio ab Indis ad Hispaniam peruenit. Vnde Chocolate ouis aut lacte conditum potus non est, sed cibus substantialissimus. Item huiusmodi potio admodum crassa in notabili quantitate ieiunium violat. Verum Chocolate liquidum adeo, ut vnicæ potioni vncia vna adhibeatur sacchari necessarij potus est, & absque scrupulo absumi potest. Vnicam potionem appello quod capit commune vas, quod *Içara* vulgo assolet appellari. Quod si assignatâ proportionem ea potionis quantitas condiatur, licet vas non semel euacuetur, ieiunium non soluitur, temperantia fortassè violata; quia potus est, quemadmodum de vino asseruimus.

77. *Die ieiunij ab amico rogatus sum modicum cibi urbanitatis gratia: num venialiter delinquo?* Negatiuè cum *Fagundez* respondeo.

78. *Tenetur ne paterfamilias filios aut seruos ad ieiunandum cogere?* Hortari ut seruent tenetur quidem, sed cogere minimè, uti docet *Toletus*.

Tolet.

79. *Num professi ad Religionis ieiunia ante annum vigesimum primum teneantur?* Cum *Azorio* & *Saa* existimo non teneri.

Azor.


Saa.

80. *Licet ne die Dominica ex deuotione ieiunare?* *Bellarminus* licere ait: Scandalum tamen cauendum.

Bellar.

An licet dare cibum ei, quem scis debere ieiunare? *Saa* respondet licere parato non ieiunare, & alibi reperturo cœnam dare, urbanitatis causa, aut hospitalitatis, ut supra dixi. Adiciendum id non licere Superiori, hoc est, Domino, aut Patrifamilias, si suauiter possit ad ieiunium allicere; sed, ut dixi, seruum, aut filium minimè cogere tenetur.

Saa.




EXAMEN XIV.

De legibus in particulari circa materiam de
Decimis ad præceptum quintum
Ecclesiæ.

CAPVT PRIMVM.

De Oblatione, Primitiis, Decimis.

- §. 1. 1. **Oblatio.**  *Vid est Oblatio?* Exterior actio, per quam ex bonis sensibilibus aliquid Deo offerimus in recognitionem dominij eius, & seruitutis nostræ ad ipsum, vel in quemcunque cultum religiosum Dei. Variis titulis deberi possunt oblationes, easque offerre non potest nisi baptizatus. Deo fiunt, & hominibus Ecclesiasticis, & fieri aliquando possunt ex debito, & voto.
- §. 2. 2. *De Primitiis quidnam?* Primitiæ ex primis terræ fructibus frugum oblationes sunt. Eas offerre Deo de iure naturæ est. Olim erant in præcepto, & nunc etiam in lege gratiæ præcipiuntur.
- §. 3. 3. *Decima quid?* Decimæ ex Ecclesiæ præcepto sunt, & ratione congruæ sustentationis ministris debitæ de iure naturali, in lege gratiæ confirmata.

CAPVT III.

De personis, à quibus danda Decima, de quibus rebus soluenda sunt, & queisnam personis.

- §. 1. 4. **Solvens decimas.** **Q***uam persona ad decimas soluendas obligantur?* Omnes fideles. Vnde gentiles non comprehenduntur, neque Iudæi, siue de prædialibus, siue de personalibus sermo sit. Sacerdotes non solvunt. Pauperes solvunt modò in extrema necessitate non sint. Ministri Sacramentorum non tenentur ad decimas, at clerici ea recipientes tenentur, & quidem ex prædiis seculari titulo possessis, non ex lucris spirituali titulo acquisitis,

5. Tenentur

5. *Tenetur ne Papa, aut Episcopus?* Papa sui ratione non tenetur, at ratione prædij, in quo tale sit onus, obligatur. Episcopus personali debito non tenetur, sed reali bene teneri potest.

6. *Quid de Parochis, Clericis, ac seruiantibus Ecclesiis?* Parochi ad prædiales tenentur, non ad personales. Clerici non ministrantes ad omnes. Seruiantes Ecclesiis ex Ecclesiasticis bonis non tenentur, nec ex acquisitis titulo spiritali.

7. *Tenetur ne Religiosi?* Iure communi tenentur, aliqui sunt priuilegio exempti & à personalibus etiam ex proprio labore iure communi immunes sunt. Priuilegiati etiam à debito reali eximuntur; eorumque priuilegium ad noualia, & ad prædia in futurum acquirenda extenditur.

8. *Ex quibus rebus soluenda sunt decimæ?* Ex omnibus lucris iustè acquisitis. Nec debentur ex donationibus. Ex propriis actionibus lucra comparata debentur ex militia, & præda. Ex acquisitis contra iustitiam non debentur ex iustè verò acquisitis per turpem actionem debentur. Ex decimis personalibus deducenda primùm expensæ sunt. Prædiales ex omnium rerum fructibus soluenda.

9. *Quid si colonus mediarius sit?* Mediæ soluantur ab ipso & mediæ à domino. *Si mercenarius?* A domino totæ.

10. *Quisnam personis decimæ soluenda?* Personales decimæ debentur Parochiæ, eique Ecclesiæ soluenda sunt, in cuius Parochia sita sunt prædia. Mixtæ debentur illi Ecclesiæ, in qua animalia habitant, nisi consuetudo induxerit, ut soluantur in alia. Non extenditur ad noualia, ante possessa; & priuilegio solui possunt extra Parochiam. Noualia autem tunc comprehenduntur, quando verba talia sunt, ut absque propria interpretatione restringi non possint. Soluenda decimæ sunt Parochiali, etiam si baptismalis non sit. Prædiales soluantur Parochiali, in cuius territorio prædia sunt.

11. *Num ius percipiendi decimas laicis conueniat?* Minimè; at tanquam temporales quidam fructus solui illis possunt. Tribus autem modis eas possunt percipere locatione, stipendio, donatione. Concedi item laicis ad vitam possunt, in feudum, & transferri ad successores. Consuetudine eas præscribere non possunt, etsi vim habere potest consuetudo probandi priuilegium. Porro decimæ institutæ fuere in Cleri sustentationem & post diuisionem diocesium in Parochias, distributæ per Parochos fuere. Primò debentur Episcopis,

○ æquè

§. 2.
Decima-
rum ma-
teria.

§. 3.
Quibus
soluen-
da deci-
mæ.

æquè primò etiam Clero Parochiarum. Deinde Parochiarum capitulis præbendatis. Simples clerici non habent ius ad illas proprium, nec Religiosi ex vi status. Consuetudine præscribere quidem possunt immunitatem à soluendis decimis, non autem ius eas recipiendi, nisi sint ministri Sacramentorum, & titulum aliquem Parochialem habeant.

CAPVT III.

Quomodo, & quando, soluenda sint Decima.

§. 1. *Quomodo soluenda decima.* 12. **Q**uoniam modo debeantur, & reddenda sint decima? Debeantur ex Iustitia, & Religione, non tanquam alienæ res, sed tanquam res propriæ, (yt probabilius assero) cum obligatione reddendi. Vnde potest Ecclesiam quodammodo habere vsum fructum in prædiis, pro parte decimarum. Eas petere potest Ecclesia à quocunque, apud quem sint non decimati fructus.

13. *Si culpa Parochiani amittantur fructus?* Contra ipsum ius habet Ecclesia. Culpa autem triplex esse potest, commissio, omissio, & mora: commissione debet, qui potuit impedire damnum & non fecit: ommissione, qui potuit seminare, vel vineam colere: mora autem tum in colligendis opportuno tempore fructibus, tum in non soluendis postquam ij collecti sunt.

§. 2. *Quando soluenda decima.* 14. *Quando soluenda?* Sine mora, & non petita. Et quidem personales in fine anni soluuntur. Computandæ autem decimæ ex negotiationibus per singulos annos. Prædiales soluendæ statim collectis fructibus: animalium proportionato tempore. Parochi suis sumptibus curare debent, vt in domum deferantur.

15. *Ius ne habet Ecclesia decimas exigendi?* Ita planè, per vim tamen accipi non possunt à Parochis, sed recurrere possunt ad Ecclesiasticos iudices, qui cogere valebunt. Prælati quidem tenentur cogere debitores, interdum tamen ad tollenda, seu vitanda scandala poterunt conuiere.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Decimis ex Societatis
IESV Doctoribus.

16. **S**Cio, Religiosos priuilegio, exemptione à decimis frui: rogo §. 1.
Sancti laici coloni Religiosorum ad decimas soluendas te- De obli-
 neantur? Tenentur pro sua cuiusque portione soluere, sed cir- gatione
 ca Religionum fundos gaudent priuilegio Religiosorum, decimas
 quod est reale utpote communitati concessum, quod de iure soluendi,
 communi transit ad colonos. Priuilegium decimarum Socie- & exē-
 tati concessum à Gregorio XIII. uidentur apud Henriquez prione.
 lib. 7. cap. 27. n. 8. & in Gloss. lit. H. Quid si coloni Religiosorum, Henriq.
 uel ipsimet Religiosi aliqua in Prouincia decimis persoluant?
 Id profectò erit ex aliquo Breui Pontificio ab Episcopis ob-
 tento priuilegiij huius reuocatorio.

17. *Eximuntur ne laici à decimarum solutione ex præscri-*
 ptione immemorabili sine titulo? Ita planè ex c. auditis de præ-
 script. & c. 3. de consuet. in 6. sicut etiam ex præscriptione qua-
 draginta annorum cum titulo, & consuetudine quadraginta
 annorum sine titulo. *Quanam inter consuetudinem, ac præscri-*
 ptionem diuinitas? Consuetudo respicit communitatem, quæ
 per diuturnum usum legitimo tempore continuatum potest
 legem derogare. Præscriptio autem priuata respicit perso-
 nam, cuius usus quantumuis continuatus, non potest legem
 introducere, aut abrogare. *Layman lib. 4. ca. 1. c. 7. n. 9. Ex Laym.*
 cuius mente laici non possunt per præscriptionem omnino
 eximi à decimarum onere persolueendarum, sed tantum in
 partem, ut scilicet loco decimæ vigesimam, aut trigessimam
 partem soluant.

18. *Alias, precor, de præscriptione, circa decimarum exemptio-*
 nem Doctorum Societatis sententia adnotat. Porro Henriquez Henriq.
 lib. 7. cap. 27. um. 2. & Tannerus 2. 2. d. 5. q. 3. dub. 2. num. 31. Tanner.
 asserunt, ad præscriptionem sine titulo in causa decimarum
 sufficere quadraginta annorum tempus. *Ad consuetudinem*
autem quid? Affirmat Castro Palao tom. 2. tract. 10. d. unic. p. 4. Palao.
 n. 6. probabile esse; ad consuetudinem contra decimas de-
 cem annorum spatium sufficere.

19. *Decimarum obsecro obligationem pressius extende. Tri-* §. 2.
 plex decima, personalis, prædialis, & mixta. Personalis est De deci-
 decima pars fructuum prouenientium ex industria, & opera mis va-
 personæ. Prædialis, seu realis est quota fructuum, qui ex ria.
 prædiis

prædiis percipiuntur. Mixta quæ partim ex hominis industria, partim ex prædiis prouenit, vt sunt animalium foetus. Perfectò decimæ personales soluendæ sunt post lucrum acquisitum, ab iis qui Sacramenta suscipiunt illi Ecclesiæ, in qua Sacramenta suscipiuntur, nisi aliter sit consuetudine receptum. Prædiales statim ac fructus collecti sunt, soluendæ ab illis omnibus, qui prædia titulo non spirituali possident, illi Ecclesiæ, cui subiecta sunt prædia, nisi sit consuetudine introductum, vt alteri soluantur. Mixta quando foetus peruenit ad statum vtibilem, soluendæ iuxta locorum consuetudinem. Ex *Layman. Palao & aliis.*

20. *Possunt ne Sacramenta non solventibus decimas denegari? Ita planè, dum nullam habent excusationis causam.*

21. *Soluendæ ne Clericis diuitibus, aut improbis? Quis dubitet? Non enim debentur decimæ Clericis ob eorum inopiam, aut probitatem; sed laborem, quem in populi utilitatem impendunt.*

22. *In soluendis decimis realibus seu prædialibus sunt ne detrahenda expensæ, v. gr. cultura agrorum? Minimè; secus in personalibus.*

23. *Qui decimis soluendis deteriores, & non vt par est, mediocrem saltem partem bona fide assignat, peccat ne contra iustitiam? Peccat, & consequenter ad restitutionem tenetur. Imò peccato sese sacrilegij foedare aliqui affirmant, quos minimè probandos affirmarim; nec satis ad sacrilegium non soluere, aut malè impendere rem sacro cultui dedicatam,*

Azor.

Azorius ita.

24. *Obligatio soluendi decimas potest ne validè privilegio Papa condonari? Potest, quatenus decimæ dicunt quorum fructuum, seu determinatam partem. Imò sine causa non condonari valet à Pontifice, sed tum illicitè concederetur. Item obligatio soluendi decimas in futurum auferri posse videtur per compositionem, interueniente Summi Pontificis auctoritate. Imò etiam Prælati Ecclesiæ, aut Beneficiarius potest iusta de causa absque assensu Apostolico compositionem, vel remissionem facere de præteritis decimis, cum iuri suo cedere possit, & nulla Simonie labe, aut prohibitio interueniat. Ex Azorio.*

Azor.


Saa.

25. *Est ne probabile decimas non deberi personales, id est, ex lucro industria? Nullibi ferè esse in vsu ab Emanuele Saa affirmatur. Qui quidem addit decimas non deberi à Clerico ex fructibus Ecclesiæ, nec ex patrimonio, si Ecclesiæ seruiat, cui decimæ debentur. Standum planè in iis & similibus præscriptis*

scriptæ consuetudini, quæ quidem efficit miram hac in re
varietatem.

26. *Sunt ne speciales pœnæ non solventibus decimas assigna-
tæ?* Tridentinum præcipit subtrahentes decimas, aut earum
solutionem impediētes, non solum excommunicandos esse,
verum non esse absolueudos, nisi facta plena restitutione:
intellige, modò non adsit impotentia restituendi. Extant
etiam peculiare pœnæ in *Clem. 1. decim.* contra Reli-
giosos, qui iniquè vsurpant decimas ad se non pertinentes,
vel alios ab iis soluendis retrahunt, vel pœnitentibus con-
scientiæ scrupulum circa decimarum solutionem ingerere
negligunt. *Azorium lege.*

Azor.




EXAMEN XV.

De Legibus circa materiam de Priuilegiis in
communi.

CAPVT PRIMVM.

De Priuilegiorum varietate.

1.  *Vidnam est Priuilegium?* Specialis gratia alicui
concessa: seu lex qua alicui aliquid speciale con-
ceditur.

2. *Quotuplex illud?* Multiplex planè. Aliud dicitur
scriptum, aliud *non scriptum*, siue à Superiore conceda-
tur, siue acquiratur consuetudine. Aliud est *Reale*, quod directè
conceditur alicui rei, vt loco, dignitati, prædio, mercibus.
Aliud *Personale*, quod conceditur immediatè personæ. Quan-
do res, cui concessum est priuilegium transit ad alium domi-
num, ad eundem etiam priuilegium transit: priuilegium verò
personale cum persona extinguitur. Aliud est *Gratium*,
quod gratis conceditur. Aliud *Remuneratorium*, quod meri-
torum ratione præstat. Aliud est *Conuentionale*, quod con-
ceditur ex pacto. Aliud *Purum*, quod absolutè conceditur.
Aliud est *Priuatum*, concessum in personæ priuatæ fauo-
rem. Aliud *Commune*, quod bonum communitatis immédia-
tè respicit. Aliud est *Fauorabile*, quod priuilegiato confert
fauorem, & commodum, nulli autem incommodum. Aliud

O 3

Odiosum.

Odiolum, quod in fauorem vnius, & in præiudicium cedit alterius. Aliud est *Perpetuum*, aliud *Temporale*, seu ad tempus. Aliud *in foro conscientie*, quod in externo foro non valet. Aliud *in foro externo*, quod etiam valet in conscientie foro.

CAPVT II.

De accipiente à Superiori Priuilegium.

3. **A** *Quoniam priuilegium conceditur?* Ab eo, qui ferendi legem habet potestatem; quia priuilegium est quædam lex.

4. *Cuoniam est concedendum?* Solis subditis; quia per priuilegium homo à lege eximitur, non autem eximitur à lege, nisi qui aliquo modo legi subiiciebatur. Ergo *Religiosi & Clerici, qui subditi non sunt, priuilegia à Principe seculari consequi non possunt, neque illis frui.* Nego sequelam; quia licet non sint directè subditi Principibus secularibus, nihilominus si Princeps concedat legem ciuilem purè fauorabilem, possunt illius beneficio frui; sunt enim aliquo modo subditi, quatenus Principem agnoscunt in iis, quæ Ecclesiastica non officiant immunitati.

5. *Concedi ne potest priuilegium ignorantibus?* Valide conceditur; quia sufficit voluntas concedentis. v. gr. valida est dispensatio voti castitatis, quam pro sponsa inscia dispensationis, sponsus obtinuit: modò tamen ab ipsa acceptetur; alioquin non posset ea licitè uti dispensatione.

6. *Priuilegium ne potest validè obtineri pro inuito?* Potest, & Superior potest cum subdito renitente in lege dispensare. Inò dari potest casus, quo Superior valeat subditum ad utendum dispensatione cogere; v. gr. ad non ieiunandum in Quadragesima ob aliam utilitatem.

7. *Priuilegium vni habeat, debet ne acceptari?* Potest acceptari debet vel ab eo, cui conceditur: vel ab eo, qui vires gerit illius; quia priuilegij concessio est velut quædam donatio facta in priuilegiati fauorem; donatio autem non valet antequam acceptetur. Hoc tamen intelligendum planè de priuilegiis gratiosè concessis; nam quæ in remunerationem conceduntur, & non ex mera liberalitate, valent, quamuis expressè non acceptentur; quia priuilegiatus scit se remuneratione dignum, ac proinde non omnino priuilegium ignorat.

CAPVT III.

De Privilegij vsu.

8. **P**otest ne vti privilegiatus indulto concesso, quolibet in loco intra concedentis ditionem? Potest, si absolute, & absque loci determinatione concessum est; quia privilegium huiusmodi iuxta facultatem concedentis generale censetur. Privilegium autem, quod restringitur ad aliquem locum, extra illum non valet. v. g. quia Sede Apostolica privilegium obtinuit duo beneficia in vna Ecclesia retinendi, non potest in alia eodem vti privilegio.

9. **P**rivilegiatus autem potest ne ubique etiam extra territorium concedentis vti dispensatione, aut privilegio personali sibi absque determinatione loci concesso? Maxime, modo in alieno territorio aliqua specialis prohibitio non extet; quia privilegium personale sequitur personam, quoocunque proficiscatur. Fateor per accidens ratione scandali, vel alterius circumstantia fieri posse, vt vtendum non sit personali huiusmodi privilegio.

CAPVT IV.

De Privilegij ambiguitate, & explicatione.

10. **Q**uid praestandum, quando Privilegij verba ambiguitatem continent, & de mente concedentis dubitatur? Recurrendum planè ad coniecturas, aut Princeps adeundus, nisi in mora periculum adsit.

11. **Q**uonam modo autem explicanda privilegia, cum opus est interpretatione? Privilegium purè fauorabile late explicandum est, quantum verborum proprietates parietur, cum nullum prauidicium vlli inde patatur. Privilegium verò odiosum regulariter loquendo, strictè exponendum est, seruata similiter verborum proprietate; odia enim sunt restringenda, fauores ampliandi.

12. **Q**uonam privilegia sunt strictè explicanda? Non quidem ea, quæ continentur in iure communi; nec quæ in corpore iuris continentur, nec quæ versantur circa materiam iuris; habent enim vim legis: sed quæ non continentur in iure; quia censentur ius quoddam priuatum contra ius commu-

mune. Dispensationes autem, quæ derogant iuri communi, explicandæ strictè. Item priuilegium, quod liberius delinquendi exhibet occasionem, strictè exponendum.

13. *Facultas absoluendi à reſeruariſ Confefſa 10 conceſſa, & facultas Iubilei, ſunt ne ſtrictius explicanda, an laxius? Laxius quidem; quia fauorabiles ſunt, modò in damnum tertij non vergant, nec ad ea, quæ ſunt Pontifici Summo ſpecialiter reſeruata, extendantur, vti eſt diſpenſatio in Matrimonio rato, in voto caſtitaſ, aut Religionis; quia in generali conceſſione haud continentur ea, quæ Superior non eſſet conceſſurus, ſi ſpecialiter rogaretur.*

14. *Poteſt ne uxor aliqua ratione gaudere priuilegio nobilitaſ, quod uir eiur obrinuit: & filius poteſt frui priuilegio nobilitaſ patri conceſſo? Poteſt, iure ita diſponente; priuilegium enim non ſolum cenſetur conceſſum iis perſonis, & rebus, quæ in illo exprimuntur: ſed & iis, quæ in eo comprehenduntur propter uocis ſignificationem, aut actionis connexionem, aut diſpoſitionem iuris.*

15. *Poteſt ne extendi priuilegium ad alios caſus, uel perſonas ob rationis ſimilitudinem? Minimè; quia indultum concedens non uidetur uelle ad alios extendi, niſi in eo ſpecialiter ſignificatiua uoce comprehendantur. Alioquin priuilegia vni Religioni conceſſa ad aliam arctiorem, uel æqualem tranſirent ob ſimilitudinis, aut rationis paritatem. Colligo hinc priuilegiorum materia à pari, uel à maiori ad minus non eſſe arguendum, niſi minus in maiori includatur. v. gr. concedens veſcendi carnibus facultatem, etiam facultatem veſcendi ouis & lacticiinis concedere cenſetur.*

C A P V T V.

Quonam modo Priuilegium amittatur?

16. **A** *Mittit ne Priuilegium vim ſuam obeunte eo, cui fuerat conceſſum? Amittit proſus, ſi priuilegium erat perſonale; tale enim perſonæ affigitur. Reale autem ſucceſſuè ad illos, qui rem ipſam acquirunt, tranſmittitur.*

17. *Quandonam priuilegium perſonale eſſe cenſebitur, vti dignoſcere poſſimus utrum expiret, nec ne? Priuilegium perſonale cenſetur, quando alicui conceditur expreſſo ſolum nomine illius, niſi aliter ex circumſtantiis appareat. Quando uerò exprimitur ſolummodo nomen dignitaſ, priuilegium reale*

reale censetur, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. Quid si simul nomen persona, & dignitatis exponatur? Tunc privilegium personale censetur; quia nomen dignitatis per nomen personae tanquam genus per speciem contrahitur.

18. Privilegium ritè concessum cessat ne morte concedentis? Non cessat, modò concessum simpliciter fuerit sine vlla conditione, seu particula restringente vsque ad obitum concedentis.

19. Privilegium nondum erat obtentum, sed obtinendum: expirat ne morte concedentis? Expirat, v.g. si Pontifex postquam facultatem commisit Antonio, vt beneficium conferat Petro, ante collationem è vita excedat illa facultas infatuatur; quia beneficium nondum erat obtentum.

20. Quid de privilegio simpliciter, & indeterminatè concessio: & de illo, cui tempus praefigitur? Concessum indeterminatè perpetuum est: terminatè autem datum, lapsu temporis praescripti, aut cessatione conditionis, amittitur. Quid si ad beneplacitum concedentis datum sit? Expirat planè morte concedentis.

21. Amittitur ne privilegium tota ipsius causa cessante? Amittitur, modò non sit executioni mandatum: quia non est credible Principem conferuare velle privilegium causa cessante, quod quidem iniquè videretur indultum.

22. De privilegio gratuito, & oneroso quid sentiendum? Gratuitum quo quidem alicui subdito facultas datur faciendi contra, vel potius praeter ius, potest ex causa iusta à concedente reuocari, vel à Superiori, vel à successore concedentis. Quod autem datur per contractum onerosum, vel in remunerationem, vel praevia pecunia, per se loquendo non potest reuocari; quia pacta seruanda.

23. Quonam modo privilegium reuocatur? Vel expressè verbis sufficienter reuocationem, in specie indicantibus, seu in genere: vel tacitè, si concedens, v. gr. aliquem gerat actum, qui non possit absque privilegij derogatione subsistere; vt si Princeps iubeat tributum exigì ab eo, quem exemerat.

24. Adsunt quadam privilegia in corpore iuris inserta, quaedam verò minimè: rogo num sint reuocabilia? Privilegium insertum per posterius privilegium abrogatur; quia non praesumitur ignorari. Privilegium non insertum nec reuocatur per legem subsequenter, nec per particulare mandatum, seu rescriptum Principis, nec per subsequens privilegium praecedenti repugnans, nisi ipsius mentio fiat; quia privilegium

huiusmodi est ius quoddam priuatum, quod Princeps ignorare præsumitur, nisi ipsius faciat mentionem.

25. *Quidnam requiritur, ut reuocatio priuilegij facta per legem suum effectum sortiatur?* Publicatio reuocationis; quia ante publicationem non obligat lex. Facta autem publicatione, priuilegium manet reuocatum, ita ut acta non valeant, etiam si ignoranter, & absque culpa fiant. Excipe tamen actus publicos cum errore communi, & titulo colorato effectos. Priuilegium verò priuatum vim suam retinet, donec reuocatio ad notitiam illius, cui concessum fuerat, perueniat; ut enim concessio priuilegij, priusquam ei, cui concessum fuit, innotescat, non operatur: sic illius reuocatio suum non sortitur effectum, donec ab eo, cui fuerat concessum, cognoscatur, v. g. confessarius, cui fuerat facultas concessa absoluedi à reſeruatis post facultatem priuatim ipſo incſcio reuocatum, validè abſoluit.

26. *Amittitur ne priuilegium per voluntariam renunciationem?* Ita quidem, modò à concedente acceptetur, aliàs priuilegium adhuc viget, & potest priuilegiatus illo uti, mutata voluntate; quia priuilegium vim habet à voluntate concedentis. Loquor de priuilegio, quod tractum habet ſucceſſiuum, & conſiſtit in potentia faciendi, vel omittendi aliquid in futurum; nam priuilegium momentaneum, quod operatur ſtatim ac conſeſſum eſt, ut eſt diſpenſatio in impedimento Matrimonij, non poteſt renunciari. v. g. qui diſpenſationem in impedimento conſanguinitatis obtinuit, non poteſt per renunciationem inhabilis fieri ad contrahendum; non enim poteſt ſeſe inhabilem efficere, poſtquam ſemel eſt habilis diſpenſationem effectus.

27. *Quid de priuilegio alios grauante, ſeu non grauante affirmatiuo?* Priuilegium affirmatiuum, quo facultas conceditur aliquid in aliorum grauamen faciendi, per non vſum amittitur; quatenus qui grauantur, per tempus legitimum tali onere præſcribunt exemptionem. Priuilegium verò, quod neminem grauatur, regulariter loquendo non amittitur per non vſum, etiam ſi longiſſimum tempus intercedat: modò fuerit absque temporis limitatione conſeſſum, exceptis caſibus in iure expreſſis.

28. *Amittitur ne priuilegium per vſum materialiter, ſeu formaliter contrarium?* Amittitur; quia priuilegiatus præſumitur priuilegio renunciare, ſi aliquem actum contrarium efficiat tanquam ex obligatione, ſeu animo ſeſe obligat ioni ſubſtituendi, v. g. qui priuilegium habet non ſoluendi tributum, ſi tributum

tributum soluat tanquam ex obligatione, priuilegium per
vsum contrarium amittit.

29. *Quandonam potero priuilegio meo renunciare?* Quan-
do illud præcipue in bonum, seu commodum priuatum ce-
dit; quia nullus cogitur inuitus beneficium acceptare. Sin
priuilegium concessum sit boni communis intuitu, non pos-
sum priuatus illi renunciare, etiamsi in meum commodum
redundet. v.g. nullus Clericus potest priuilegio Canonis, aut
fori Clericis indulto renunciare. Idem proportione affir-
mo, quando priuilegium in fauorem plurium concessum est,
ita vt commodum vnus ab aliorum commodis seiungi
non possit.

30. *Priuilegium concessum communitati quandonam amitti
videbitur?* Non quidem amittitur per vnum actum aut plu-
res, si fiant à personis priuatis, absque autoritate & consen-
su communitatis: secus si à tota communitate fiant, seu de
totius communitatis autoritate, & consensu; quia tunc
communitas videtur suo iure cedere.

31. *Amittitur ne priuilegium per abusum?* Ipso facto
non amittitur, regulariter loquendo; quia nullus tenetur à
se priuilegium ante sententiam saltem declaratoriam cri-
minis abdicare: nisi in iure verba inducentia ipso facto pri-
uationem ob abusum, vel delictum habeantur. v. gr. Cleri-
cus Sodomitico vitio lapsus, excidit ipso facto à priuilegio
clericali.

32. *Priuilegium præcisè ob aliquam actionem exercendam
concessum, cessat ne, tali actione cessante?* Cessat; quia cessante
causa, cessat effectus. v.g. Beneficiarius, qui priuilegium obti-
nuit percipiendi fructus beneficij pro eo tempore quo abest
studiorum causa: quandiu studiis non vacat, fructus percipere
non potest.

C A P V T . I V .

Praxis circa materiam de Priuilegiis, ex Schola Societatis IESV.

33. **D**ixisti priuilegium diuidi in personale, ac reale: §. vnic.
illudque immediatè concedi persona, eamque sequi: De pri-
uilegiis non immediatè rei, qua aliquando est locus, & tunc extra illum
hoc operatur: rogo, an priuilegio ciuitatis ciues absentes pos-
sint potiri? Ita planè, si persona habeat presentiam legalem.

Quo

Sanch. Quo pacto ex Sanchez de Matr. tom. 1. lib. 3. d. 18. num. 7. sententia priuilegio ciuitatis frui potest qui habet in ea domicilium, quamuis per aliquod breue tempus absit: quia in iure pro presenti reputatur.

34. Dubium adest, num priuilegium sit reale, an personale: quid gerendum? Putat Sanchez lib. 8. disq. 27. num. 4. personale reputandum; quia concurrente presumptione generali cum speciali, specialis debet praeualere. Quid si dubium vinci non possit, & ex parte habentis priuilegium stet possessio illius, ut realis? Reale censeretur debet priuilegium.

Pal. Reale censeretur debet priuilegium. Palauus tom. 1. tract. 3. d. 4. p. 2. §. 1. n. 6.

35. Dubito, num aliquod priuilegium sit reuocatum: quid? Reuocatum non est praesumendum; quia in dubio melior conditio possidentis.

36. Priuilegium concessum non subdito est ne reuocabile? Negatiue affirmo cum Suario. Talia sunt, quae à secularibus Principibus conceduntur Ecclesiasticis.

Laym. Priuilegia, quae non uni personae, sed toti communitati, v.g. Clericorum, aut Regularium conceduntur, habent ne latam interpretationem? Affirmo cum Laymano, quia legibus communibus aequantur.

38. Quid si priuilegium huiusmodi sit contra ius commune? Amplam adhuc interpretationem habet, si motu proprio à Principe concessum sit; quia proprium Principis beneficium est ex certa scientia datum. Laymanus ita.

Laym. Si autem Principis priuilegium in alterius prauidicium tendat, vel scandali exhibeat occasionem? Strictè (cum eodem Laymano loquor) interpretandum; quia eatenus odiosum est.

40. In dubio num priuilegium aliquod sit reale, an personale, quid praestandum? Si est omnino fauorabile, quia nec iuri communi, nec particulari alicuius contrarium est, censendum reale, & extendendum; sin contra, censendum personale, & restringendum. Sentio cum Suario.

Suar. Possunt ne exempti, non obstante exemptionis priuilegio, cum Praelati sui consensu subicere se ordinario, dispensationem ab eo petendo in voti, iuramentis, & censuris? Possunt, quia priuilegium priuilegiato onerosum esse non debet Layman. ita.

Laym. Potest ne priuilegium ante acceptationem reuocari? Cum eodem Doctore posse existimo, si ex mera liberalitate emanauit: secus si ex debito officio conferentis.

43. Mibi priuilegium concessum est libros prohibitos legendi: uti

vni ne eo possim extra Diocesim, aut Prouinciam conferentis? Potes; quia est datum personæ. Sic Laymanus.

Laym.

44. Quonam modo stylus Principum concedentium priuilegia intelligendus est? Respondeo ex Laymano. Si Princeps priuilegium dederit sub hac verborum forma: Dum voluero: Quoad beneplacitum meum, eo mortuo, expirat; non item si dixerit, Donec reuocauero, dum aliud decreuero: neque si dicat, Quandiu Sedi placuerit; quia potestas Sedis transit ad successorem.

45. Potest ne Capitulum iuri, ac priuilegio renunciare? Non potest, si Ecclesiæ vtile ac honorificum sit. Et si Capitulum contra priuilegium faceret, vnus solus se opponere posset. Imò si omnes contra facerent, Superior, videlicet Episcopus deberet impedire, quatenus in damnum cedit Ecclesiæ. Ex eodem Doctore accepi.

Laym.

46. Amittuntur ne priuilegia per merum non usum? Priuilegia, quæ aliis onerosa sunt, amittuntur per non usum spatio decennij inter præsentis: viginti verò annis inter absentes: si tamen vtendi occasio sit, v. g. si habeas priuilegium decimas exigendi, aut Monasteria exempta visitandi, & longo tempore non vtaris. Priuilegia verò affirmatiua per merum non usum amittuntur, si vtendi non adsit occasio v. g. si quis habeat sanguinis iurisdictionem, & diuturno tempore nullum ceperit delinquentem. Adhuc ex Laymano.

Laym.

47. Litera ne fidei publica, siue saluus conductus expirat morte concedentis? Ex Saa respondeo non expirare.

Saa.

48. Facit Papa gratiam, committendo Episcopo examen: interea moritur Papa: expirat ne priuilegium? Idem Saa negatiuè respondet. Adicit gratiam præcedentem sequenti excommunicatione non auferri: impetratam autem ex falsa causa nullam esse; concesso item aliquo priuilegio intelligenda etiam concessa omnia, sine quibus non potest illud commodè fieri; præterea nomine marium fœminas etiam comprehendi; Papam denique non præsumi concedere exorbitantia, nec velle derogare iuri, aut præiudicare alicui nisi exprimat.

Saa.



EXAMEN XVI.

De Legibus circa materiam de Dispensatione particulari, scilicet priuilegio.

CAPVT PRIMVM.

Quisnam possit Dispensare?

1. *Vid significat hoc nomen Dispensatio?* Actum iurisdictionis, quo quis à legis obligatione eximitur; aut quo legis obligatio suspenditur.

2. *Qui nam in lege dispensat?* Superior legitimus, seu Legislatores, vel Superior ipse, vel successor, vel equalis in iurisdictione, cuius quidem internus consensus requiritur ad dispensationis valorem. Hic potest cum suis subditis dispensare, illósque à legis obligatione eximere, respectu aliorum adhuc obligatione perseverante. Idem potest quilibet conditor in sua lege, & Summus Pontifex in legibus ab Apostolis tanquam Episcopis latis.

3. *Num possit Legislatores secum suis in legibus dispensare?* Potest, quamvis actum, quo quis secum sua in lege dispensat, propriè & strictè dispensationem non appellatim.

4. *Inerior ne potest in Superioris lege dispensare?* Minimè, quoties Superior sibi dispensationem reseruauit, aut inferiori prohibuit dispensandi facultatem. Imò nec potest toties quoties non ademit expressè Superior ei facultatem dispensandi; quia quando urgente necessitate potest Papam certiorum per literas facere; vel inopia partium, quibuscum dispensandum est debet suis redditibus occurrere, ipse dispensare non potest.

CAPVT II.

De dispensationis validitate, & nullitate.

5. **N**VM Dispensatio concessa sine iusta causa à legislatore, vel ab habente ab ipso facultatem, valida sit? Valida quidem, sed non licita. Vnde peccat Superior si dispenseret sine

sine causa: imò si dispenset ex causa, quam dubitat esse sufficientem. At ille, quo cum dispensatum est, potest vti dispensatione, licet dubitetur, an Superior iustam dispensandi causam habuerit: quia in dubiis Principis est standum iudicio.

6. *Dispensatio in lege Superioris concessa ab inferiore sine iusta causa, illicita quidem est: quaesierim, num sit valida?* Minimè, vnde is quo cum inferior dispensauit in lege Superioris absque iusta causa non potest vti dispensatione. A fortiori dispensatio concessa à Papa sine iusta causa in iis, quæ sunt de iure diuino, & naturali inualida est, & dispensans, grauiter delinquit. Inducens item ad dispensandum sine causa, vel falsa allegata, peccat eodem pacto, quo dispensator.

7. *Necessum ne, vt Superior dispensaturus iudicialiter cognoscat, iustam ad dispensandum causam adesse?* Minimè, imò dispensatio tacitè concessa sine causæ cognitione, valida est.

8. *Quanam ad dispensandum iusta & sufficientes causa assignantur?* Hæc. Vtilitas, aut necessitas communis, vel priuata: Pietas, aliique occurrentes casus, qui sufficientes, & legitimi arbitrio prudentis viri visi fuerint, pro qualitate loci, temporis & personæ.

9. *An Princeps possit in lege dispensare, imposita multa pecuniaria fabricæ Ecclesiæ, vel piis operibus præcepto tradenda?* Minimè, nisi sit supremus Antistes; quia in Tridentino sess. 25, cap. 18. dispensatio gratis fieri præcipitur.

10. *Aliquid habens connexionem cum materia dispensationis taceatur, vel falsò narratur, quo cognito Superior non dispensaret: rogo, num sit valida dispensatio?* Inualida est: secus si taceatur tantùm res, vel circumstantia impertinens ad causam. Vnde valida est v. gr. dispensatio voti obtenta ab eo, qui se virum doctum, & studiosum finxit; nam huiusmodi fictio nihil refert ad dispensationis causam. Similiter valida est dispensatio obtenta tacito nomine personæ, quam si dispensans cognouisset, propter odium, non dispensasset. Valida item est, quando in personæ nomine erratur; quia accidentalia hæc sunt

11. *Est ne valida dispensatio, quoties impedimentum certum narratur sub dubio: vel quoties narratur vna tantùm causa, & ea sit falsa?* Minimè.

12. *Surreptio tacendo verum, vel exprimendo falsum, assollet in toto rescripto, vel in parte contingere: quoniam modo infamias*

separabilem
curiali
 zuat dispensationem? Si contingat in toto omnino vitiat, si in
 vna tantum rescritti parte vitiat, & irritum reddit rescrit-
 ptum, quoad eam partem, in qua est subreptio; non verò quo-
 ad reliquas. *Quid si non possit separari pars, in qua contingit*
subreptio? Totum rescritum irritum est. Valet autem re-
 scriptum quò ad partem, in qua non contingit subreptio,
 etiam subreptione in ea parte à curiali scilicet commissa, in-
 scio eo, in cuius fauorem rescritum obtinetur. Vnde obti-
 nens dispensationem de duobus votis in eodem rescritto,
 potest vti dispensatione quò ad votum in quo subreptio non
 contingit. Item qui in petendo rescritto ad beneficium sine
 curatum siue simplex bona fide tacuit legitimam ad cura-
 tum aetatem, potest virtute illius rescritti beneficium sim-
 plex obtinere, si aetatem legitimam ad beneficium simplex
 habeat. Porro vitium subreptionis, & inualiditatis suppletur
 per clausulam, *Motu proprio*, positam in rescritto, quando
 priuilegium motu proprio conceditur sine vlla praeuia in-
 formatione, sed ex mera concedentis liberalitate. Hoc qui-
 dem clausula, *Motu proprio*, in rescritis posita operatur, quod
 priuilegium censeatur magis voluntarium, & nunquam in
 eum, cui conceditur, retorqueatur.

13. *Metum incurio ad dispensationem obtinendam; rogo-
 num sit valida?* Ita planè. Non ita si extorta fuisset per do-
 lum, & mendacia, si dolus & mendacia circa causam finalem
 seu motiuam dispensationis versentur; id est, quando dispen-
 sans non concessisset dispensationem, vel eius partem, si do-
 lum cognouisset.

14. *Valida ne dispensatio ab aliquo obtenta non exprimendo
 se aliàs eam petuisse, sed non obtinuisse?* Valida est, v. gr. dispen-
 satio obtenta ab Episcopo successore ab anteriori denegata
 valida est, quamuis circumstantia denegationis taceatur. Imò
 validam puto dispensationem ab inferiori, habente tamen
 potestatem dispensandi, obtentam, quamuis non exprimatur
 eam prius fuisse à Superiori denegatam.

15. *De vna & eadem re duplex dispensatio petitur, & pri-
 ma fuit limitata: rogo, an in secunda, quae magis ampla petitur,
 facienda sit mentio prioris limitatae?* Ita planè, alioquin se-
 cunda videtur inualida, nisi secunda ex noua sufficienti causa
 petatur, aut nisi prima concessa fuerit cum limitatione, quae
 iuxta stylum apponi soleat.

16. *Qui ob scrupulum vel dubium circa primam dispensa-
 tionem obtinet secundam, valide ne obtinet, non facta mentione
 prioris?* Ita quidem. Vnde qui obtinuit, v. gr. dispensationem
 valescendi

ascendi carnibus in vna Quadragesima, si in alia similem dispensationem querat, non tenetur prioris mentionem facere.

17. Quid si amplio rem dispensationem expeterem? Deberes prioris memoriam facere, v. g. qui obtinuisti exemptionem a soluenda parte decimarum, debes prioris mentionem facere si amplio rem desideras.

18. Habet quis plura impedimenta, seu vincula; num valide obtineat dispensationem vnus, aliis non explicatis? Affirmatiue respondeo, vt patet à simili de obstructo pluribus excommunicationibus, qui potest ab vna absolui, alia non ablata. Excipe Matrimonij impedimenta.

19. Readditur ne inualida dispensatio tacita qualitate, quam iura specialiter exprimi volunt, si ea qualitate expressa adhuc Superior dispensationem concessisset. Ita quidem. Vnde inualida est dispensatio obtenta (v. g.) non expresso gradu affinitatis, vel consanguinitatis, vel publicæ honestatis, aut non facta expressione diuersorum titulorum, ratione quorum duo sunt affines.

20. Committens cum consanguinea incestum, potest ne vti dispensatione, si antequam dispensatio obtineatur, iterum cum eadem peccet? Potest.

21. Est ne valida dispensatio obtenta non expressa linea in consanguinitate, affinitate, & publicæ honestate? Inualida est. Porro in cognatione spirituali exprimendum est, an sit filiationis, vel spiritualis compaternitas. Imò explicandum, impedimentum publicæ honestatis esse in primo gradu, & ex matrimonio rato consurgere, si de hoc dispensatio queratur.

22. Est ne valida, quando circa speciem impedimenti erratur, aut quando obtinetur ad contrahendum cum affine vel consanguineo, tacito incestu iam commisso, & completo? Est inualida. Profectò si incestus sit occultus, non est necessariò facienda ipsius expressio in dispensatione à Papa pro foro externo obtinenda.

23. Est ne explicanda copula incestuosa spe facilius obtinendi dispensationem commissa? Ita planè, quamuis alter tantum eorum talem animum habuerit.

24. Valet ne in foro externo dispensatio concessa, si copula non intercessit, ea occulta interueniente? & an contrahentes à iudice de hoc interrogati, respondere teneantur? Respondeo contrahentes interrogatos de copula licet occulta, teneri iudici interroganti manifestare.

25. Est ne dispensatio valida, quando error vii iniori in gradu

P

gradu

gradu committitur? Minimè; v.g. si dicatur esse in quarto, cum sit in tertio. Porro si duo non æqualiter distent à stipite, necessariò non est facienda mentio gradus propinquo-
 ris, modò tamen alter contrahentium non distet vno tantum gradu à stipite. Ordinarius quidem non expresso propinquo-
 ri gradu non debet in foro externo dispensationem admitt-
 ere donec litteræ declaratoriæ afferantur.

26. *Requiro, quid seruandum, dum aliqua dispensatio de Pontificis mandato expenditur?* Requiritur, vt qui rescriptum Apostolicum debet expedire, ad confessiones sit ab Ordinario approbatus: vt sit Doctoratus laurea insignitus: vt habeat iustam causam dispensandi: vt rei veritatem, nisi notoria sit, vel aliunde constet, ab ipso pœnitente diligenter inquirat: vt Confessarius, cui rescriptum Apostolicum exhibetur, ad dispensandum. v.g. in Matrimonio, non dispenset, nisi impedimentum sit occultum, id est, nisi ignoretur à maiori viciniae parte, vel parochiæ, vel oppidi, vel Collegij, vel Monasterij: vt præcedat confessio dispensationem; quoties hoc à rescripto iubetur: vt denique confessarius talia pia opera imponat, qualia prudenter imponenda iudicauerit. v.g. in dispensationibus ad contrahendum matrimonium obtentis ratione delicti, imponenda est corporalis pœnitentia, aut menstrua confessio, quæ quidem fieri poterit quacunque Mensis die. Confessarius autem, cui datur facultas dispensandi circa matrimonium, curare debet ante dispensationis executionem, vt coniuges separentur, si id sine scandalo præstari possit. Denique vt ipsi coniuges certiores sint de consensu snullitate. Et literas dilacerare debet quoties in priuilegio præscribitur literas dilacerari: & pro dispensatione nihil omnino exigere.

C A P V T III.

De dispensationis vi amissa, & de ipsius expensis.

§. I. 27. *Quænam modis vim suam amittit Dispensatio? Aut Visamis-*
sa dispē- **Q**uæssatione causæ, aut morte concedentis, nondum
sationis. effectu adimpleto, renunciatione, reuocatione, modò non sit.
 Dispensatio absolutè sine limitatione concessa. Dicitur, *ces-*
satione causa; quia cessante causa finali, seu motiua dispensa-
 tionis, post obtentam ipsam, & nondum executioni manda-
 tam.

tam, probabile est, etiam ipsam dispensationem cessare. De-
legatusque ad dispensandum, non potest validè dispensare,
si post indultum sibi concessum cessavit causa iusta dispen-
sandi. Hinc colligo obtinentem dispensationem come-
dendi carnes tempore ieiunij ob infirmitatem, ea cessante
teneri à carnibus abstinere. Item obtinentem dispensatio-
nem in aliqua lege humana, vel diuina, peccare tali vtendo
dispensatione, postquam transacta est dispensationis causa.
Quid si dubietur, num causa dispensationis cessauerit? Præ-
sumitur non cessasse, & consequenter valida est dispen-
satio.

28. *Num dispensatio executioni mandata cessat causa ces-*
sante, aut potest reuocari? Minimè. v.g si iusta de causa con-
cessa sit dispensatio ad contrahendum matrimonium, & vi
talis dispensationis sit matrimonium contractum, non ces-
sat dispensatio, licet contracto iam matrimonio cesset causa
dispensationis.

29. *Quidnam efficit dispensationis renunciatio?* Efficit
planè, vt dispensatio, quæ nondum executioni mandata fue-
rat, vim suam amittat, si renunciatio acceptetur à dispen-
sante. v. gr. Antonius obtinuit dispensationem ducendi in
matrimonium consanguineam, sed ante contractum matri-
monium cedit dispensationi, dispensatio cessat, si cessio, seu
renunciatio dispensationis à dispensante acceptetur. Hinc
patet, dispensatum posse dispensationi renunciare antequam
fortiatur effectum. Et qui proposuit non vti dispensatione,
aut illi renunciare, potest ea vti, vel renunciationem reuo-
care, si eam Superior nondum acceptauit.

30. *Quid de Expensis dispensationis?* Dispensatio impe- §. 2.
tranda illius expensis, qui onus illius impetrandæ suis sum- *Expensa*
ptibus in se suscepit. Quando tamen præcessit consensus *dispen-*
tacitus; vel expressus impetrandæ dispensationis, & alter *sationis.*
onus illius impetrandæ suis sumptibus liberaliter in se non
suscepit, dispensatio communibus expensis impetranda est.
Et qui obtenta de communi consensu dispensatione, iniuste
renuit matrimonium contrahere, tenetur ad integras di-
spensationis expensas; qui verò iuste renuit absque alterius
culpa, tenetur solum ad partem expensarum; quod si renuat
ob alterius culpam, videlicet ob iniustam, & iniuriolam al-
terius actionem, ad nullas tenetur expensas: sed alter, qui
causam resiliendi dedit, ad integras tenetur. Vnde sequitur
eum, qui resilit à promissione matrimonij ob superuenien-
tem in altero contrahente notabilem deformitatem, non
teneri

teneri integras dispensationis expensas solvere, sed tantummodo partem. Vir item qui fornicatus est ante promissionem matrimonij, non tenetur ad integras expensas, si sponsa obtenta dispensatione, nolit cum eo contrahere, cognita illius fornicatione; quia fornicatio sponsi antecedens promissionem matrimonij non est sponsæ iniuriosa. Ille denique, cuius culpa post matrimonij promissionem contrahitur impedimentum dirimens, tenetur, si possit propriis expensis dispensationem obtinere, ut sponsalia perficiantur.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Dispensationibus ex Doctoribus Societatis IESV.

§. I. 31. **D**ispensationem fieri debere ex causa dixisti: rogo, De dispensatione in cap. 4. *an facta in lege propria, vel inferioris sine iusta causa, valida sit? Invalidam Vasquez, asseruit 1. 2. tom. 2. d. 178. cap. 4. At tanti viri venia contrarium affirmari; quia lex ex communi ferentis, vel eius superioris voluntate pendet, qui pro in te potest eam tollere, ac relaxare.*

Vasq. 32. *Num sit peccatum mortale, dispensationem concedere, seu impetrare, eaque uti sine iusta causa? Granado Affirmat Sanch. At Sanchez de Matrim. tom. 3. disq. 18. num. 10. probabile putat, nec esse veniale peccatum uti dispensatione, obtenta sine causa; quia iam lex relaxata est, unde nec ad veniale remanet obligatio. Concedere autem, aut impetrare sine causa Granad. veniale alij solummodo putant. In graui dispensatione Granadum sequor com. 7. tract. 3. §. 2. d. 17. sect. 3. n. 24. mortale esse putantem.*

33. *Dubitat Prælati de iustitia dispensationis: potest ne licite concedere? Potest, quia in dubio in benigniorem partem inclinandum. Sanchez summ. tom. 2. lib. 4. cap. 45. num. 10.*

34. *Valida ne dispensatio inferioris in lege superioris causa non iusta, si bona fide facta sit? Negat Salas de leg. disq. 10. sect. 4. n. 35. quia bona fides non potest acta aliâ nulla valida reddere. At Sanchez de Matr. tom. 3. lib. 8. d. 17. num. 8.*

docuit valere; quia talis præsumi debet Papæ intentio circa suas leges, & Dei erga suas.

35. *Nulla adest causa, sed non præcognita: valida ne dispensatio? Negat Azorius part. 1. lib. 5. cap. 15. quas. 9. & 10. quia*

quia facultas dispensandi commissa censetur, præmissa causa cognitione. Porro Sanchez affirmat, numer. 11. quia Sanch. talis dispensatio in foro conscientiae nullo iure irritatur.

36. *Cessat dispensationis causa: num dispensatio cesset?* Negatiue respondet Salas disq. 20. sect. 5. num. 63. quia in dispensatione intelligitur conditio, si causa permaneat. Porro Sanchez d. 20. num. 14. affirmat, quia cessante causa, cessat lex communis, quæ maioris est roboris. Itaque dispensatus à Pontifice sine vlla limitatione ad non ieiunandum per totam vitam, etiam si causa v. gr. infirmitas cessaret, vti posset dispensatione. Verum conditionem illam subintelligi, abnegatur.

37. *In dubio positiuo, an casus indigeat dispensatione, est necessaria dispensatio?* Minimè. Addit Palaus tom. 1. tract. 3. Pal. d. 6. p. 5. n. 10. nec in dubio negatiuo, etiam si quis propensior sit in eam partem, quod casus indigeat dispensatione; quia possessio stat pro libertate.

38. Dubium est, num sit valida dispensatio, vel quia dubitatur de veritate narratorum, vel quia dubitatur, an causa allegata sit finalis: præsumendum ne validam esse, aut inuvalidam? Validam planè; quia in re dubia, in fauorem actus est præsumendum. Palaus citat. part. 16. §. 5. Pal. num. 3. Scio Coninch de sacram. d. 33. dub. 6. num. 93. contrarium asseruisse. Conin.

39. *Generaliter in narratiua dispensationis tacetur, vel falso exprimitur aliquid, de quo dubitatur, an fuerit causa finalis, id est, sine qua Pontifex non concessisset dispensationem; an vero solum impulsiva, ita vt etiam sine illa dispensati concederetur: pro quanam præsumendum?* Pro impulsiva, & consequenter dispensationem esse validam; quia semper in fauorem actus est præsumendum. Sic Palaus Pal. ubi supr.

40. Scio dispensationes gratis expediendas semper enim in literis sacrae Pœnitentiariae verba illa apponuntur: gratis ubique; rogo tamen, an possit aliquid gratitudinis ergo accipi? Sanchez apud Homobonum v. 3. tract. 13. c. 11. q. 32. docet non prohiberi aliquid accipi post expeditionem causa gratitudinis. Repugnant alij. Praxi standum. §. 2. De dispensatione

41. *A Tractatu septimo de sacramentis sub raho de Matrimoniali dispensatione plures resolutiones, vt plenior reddatur de legis dispensatione materia. Rogo igitur, quænam in matrimonialibus dispenset Episcopus? In impedimentis non dirimentibus.*

bus. In dirimentibus post celebrationem bona fide saltem unius, publicè factam, si impedimentum est occultum, & separatio coniugum nequit fieri absque magna famæ iactura, aut scandalo, aliòve magno detrimento, & non est facilis ad Papam recursus, & si est periculum in mora, &c. dispensare potest Episcopus. Imo ante contractum matrimonium si sponsa manè ad confessionem accedens, quando omnia parata sunt ad nuptias eodem vesperè celebrandas, quæ sine gravi infamia omitti non possunt, aut differri, dirimens impedimentum habere inueniatur: dispensare potest Episcopus; quia impedimenta sunt de iure humano, & eadem ratio, quæ Episcopus potest post matrimonium dispensare antea etiam videtur militare. Ita *Sanchez de Matrim. tom. 2. lib. 2. cap. 4. num. 7.*

Sanch.

42. *Matrimonium cum impedimento mala fide est contractum: scio communiter à Doctoribus asserti Episcopum dispensare non posse; quia Tridentinum sess. 24. cap. 5. de huiusmodi contrahente dicit: Separetur, & spe dispensationis obtinendæ omnino careat: Rogo tamen, an sit afflicto, ac misero solacium?*

Henriq.

Profectò *Henriquez lib. 12. cap. 3. n. 2.* probabile ostendit esse, posse Episcopum dispensare; quia Episcopus in sua diocesi de iure diuino potest: quidquid Papa in toto orbe; & quamuis eius potestas possit à Papa limitari, & de facto quo ad hoc limitata sit: non tamen censetur limitare in omnibus casibus, sed in ordinariis. At quando animi adest periculum, præsumitur summus Pater velle, & Episcopus adhibeat medicamen. Cum hac limitatione Concilium exponit. An non Deus prohibet homicidium; quod tamen in necessariam permittit defensionem? Non audeo subscribere.

Sanch.

Præp.

43. *Potest ne Pontifex summus in primo gradu lineæ recte inter affines dispensare. v. gr. ut socer possit ducere nurum, vitricus priuignam? potest, auctore Sanctio de Matr. tom. 2. lib. 7. d. 66. num. 7. & Præposito in addit. ad 3. part. quæst. 7. d. 11. num. 69. quia hæc matrimonia non sunt naturali iure prohibita. Nonne Adonias filius David petiit in vxorem Abisag Sunamitidem, quæ fuerat patris sui David vxor? 3. Reg. 2. Probat Gasspar Hurtado de Matr. d. 20. diffie. 4. num. 13. ratione, quia inter tales affines nulla superioritas reperitur, contra cuius reuerentiam sit matrimonij vsus; vnus enim non est principum naturale alterius.*

Hurt.

Præp.

44. *Potest ne Pontifex inter fratrem & sororem dispensare? Negat Præpositus in addit. ad 3. part. quæst. 7. dub. 9. num. 73. quia primus gradus cognatorum iure naturæ prohibitus. At*

Hurtado

Hurtado de Matr. d. 17. diffic. 5. num. 12. affirmat tale matrimonium iure naturæ validum esse, & Pontificem posse, concurrente iusta causa, dispensare. v. gr. si Rex Hispaniarum non posset pari coniugio colligari extraneæ nisi hæreticæ, aut suspectæ, vnde probabile periculum immineret vel pervertendi Regis, vel Regni inficiendi: tunc, inquam, Pontifex dispensare posset, vt sororem duceret, præcipuè si vterina non esset; quia nec frater est sorori superior, aut è contra. Quid si aliquando Pontifex respondit, se non posse in gradibus prohibitis diuina lege dispensare? vt patet cap. litteras, de restitut. spoliat? Exponendum significare, se non debere sine magna causa.

45. Scio posse Episcopum dispensare in lege Pontificis ex iusta causa: rogo, an iusta causa censenda paupertas paruum, si eam possit Episcopus suis redditibus subleuare dum certior sit Pontifex? Negat Vasquez 1. 2. tom. 2. d. 187. cap. 2. num. 16. quia ipse Episcopus tenetur pauperum necessitati subuenire. At Salas de leg. d. 20. sect. 3. num. 27. affirmat; quia Episcopus tenetur quidem ad victum pauperum, non autem ad absumendum redditus suos hisce in dispensationibus.

46. An vtilis sit dispensatio inter consanguineos, vel affines, hanc facta copula mentione? Negatiuè respondet communiter Doctores; quia stilo curiæ exprimi debent. At Gasp. Hurtado de Matr. d. 26. diffic. 5. num. 21. docet hanc dispensationem in conscientia foro valere; quia incestus neque est impedimentum, quod ratione sui egeat dispensatione: nec ex stylo curiæ, aut Doctorum consilio semper exprimitur: & quando exprimitur, non pertinet ad causam motiuam dispensationis abnegandæ, sed potius concedendæ.

47. In rescripto apponitur vnica causa, & illa est falsa: an vitietur rescriptum? Vitietur (ait Castro Palao tom. 1. tract. 3. Pal. d. 6. part. 16. §. 3. num. 1. quia totalis dispensandi causa corruit. At si apponuntur plures particulae quarum singula non sufficerent & omnes simul sufficiunt? Existente vna falsa, rescriptum vitietur. Quid si vera sit inter plures falsas vna sufficiens? Non vitietur.

48. Petrus & Maria duplici impedimento alligantur, explicant autem vnum petiuri circa aliud dispensationem seorsim: subripiunt ne dispensationem? Subreptitia quidem est; quia Pontifex decipitur existimans hosce vnico tantum impedimento laborare. Suarez de leg. lib. 6. cap. 24. num. 6. At Saas v. dispensatio num. 16. contrarium affirmat. Vnde si qui Saas sunt simul affines, & consanguinei, possunt petere consanguinitatis

- nitatis dispensationem, & postea affinitatis : & e contra. Ap-
 probat *Sanchez de Matr. tom. 3. lib. 8. d. 23. num. 1.*
- Sanch. 49. *Vitiaturne dispensatio cum errore in nomine persona aut
 diocesis?* Invalidam putat *Sanchez tom. 3. d. 21. num. 39.* quia
 tunc committitur v. gr. Episcopo Vallisoletano, qui non
 potest cum non subdito dispensare. At *Salas* *l. 20. f. 16.*
 num. 123. validam existimat; quia constat Papae intentionem
 esse, ut cum orante proprius dispenset Episcopus. Porro acci-
 dentale est Petrum, aut Antonium appellari, si error non est
 in persona.
50. *Vitiaturne, si aliquis error in curia scriptoris irrepit, v. gr.*
pro tertio gradu affinitatis, tertium consanguinitatis scribat? Ne-
 gat *Layman, lib. 1. tract. 4. cap. 2. § 3. num. 26.*
- Laym. 51. Pono dispensantem, ex falso nomine in rescripto appositum,
 intelligere personam determinatam sibi notam: *vitiaturne dispen-
 satio?* Vitiatur; quia legislator intendit cum persona sibi no-
 ta dispensare, & non cum alia. At *Amicus* oppositam sen-
 tentiam probabilem existimat.
- Amic. 52. *Emisit Antonius votum Religionis, & dispensationem im-
 petrauit, ut eo non obstante duceret uxorem: potest ne prima uxo-
 re mortua aliam ducere?* Affirmat *Sanchez de Matr. tom. 3. lib. 8.*
d. 31. quia per dispensationem absolute impedimentum voti
 est sublatum.
- Sanch. 53. *Dispensatur Petrus ad contrahendum cum una consangui-
 nea, mutato proposito vult cum alia contrahere consanguinea: te-
 neaturne in petenda secunda dispensatione, prioris mentionem face-
 re?* *Suaris de leg. lib. 6. cap. 23. num. 20.* asserit. Negat autem
Sanchez d. 22. num. 13. quia in usu illarum dispensationum
 datur optio, ut impetrans uti possit qua velit.
- Suar. 54. *Cum subest causa dispensandi, debet ne Praelatus dispensare?*
 Saa affirmat Praelatum peccare, si potens non dispensat, quan-
 do oportet.
- Sanch. 55. *Sufficit ne ad dispensandum putare Superiorem causam ra-
 tionabilem esse: quae necessum est constare de causa a iustificacione?* Suf-
 ficat putari causam rationabilem esse, uti *Saa* asserit ex *Sylu.*
- Saa. 56. *Concilium Tride: i num. sess. 22. cap. 5. praecipit non valere
 dispensationem Papa usque ad notitiam Ordinarii: de quanam
 dispensatione intelligendum?* De data in foro exteriori, uti cum
 eodem *Saa* sentiendum puto.
- Saa. 57. *Extendenda ne potestas dispensandi?* Ita plane, quia fa-
 vorabilis. Vnde extenditur ad causam, in qua eadem ratio,
 aut maior est. Itaque qui potest in affinitate, poterit in pu-
 blica honestate, si forte cum data est facultas errore putaba-
 tur

tur esse affinitatis impedimentum, cum esset publicæ honestatis. Non autem ideò absolute qui potest in maius, potest in minus, nisi in casu, ut dictum est, ex præsumpta concedentis voluntate; quod præsumi potest, cum rationabile est. Qui autem potest legitimare natum ex adulterio, potest etiam si sit semel ex incestu natus; in materia enim fauorabili veniunt mixta sub simplici. Ex eodem Saa.

58. *Dat Prælati licentiam ad id quod non potest sine dispensatione fieri: censetur ne dispensare?* Affirmat Saa; quia qui facit scienter id ubi est opus dispensatione, si potest, manifestè censetur dispensare. Saa.

59. *In quibusnam potest Episcopus dispensare?* In iis, in quibus homines sæpè indigent dispensatione, ut ieiuniis, festis, & eiusmodi à iure, seu lege Papæ prohibitis: item cum materia leuis reputatur.

60. *In dispensationibus assolet hæc particula, fortè, apponi: quàmnam vim præ se fert?* Ex stylo Curie perinde est, ac si affirmaretur.

61. *Quònam modo intelligi debet dispensatio illegitimi?* Profectò si est ad Ordines, non intelligitur de sacris. Si est ad beneficium, non intelligitur de Curato. Et si ad Curatum, non ideo ad dignitatem. Quod si est ad beneficium prius dispensatus, & postea petit dispensationem super pluralitate, debet dicere se illegitimum. Saa author.

62. *Prælati inferior bona fide dispensavit, putans causam esse iustam, quam non fuisse sufficientem postea constat: valida ne dispensatio?* Validam omnino Sanchez affirmat. Adiiicit, si Prælati inferior dispense in lege Superioris non præcognita causa, quæ reuera est sufficiens, & legitima, valere dispensationem in foro conscientie, donec reuocetur; utentemque huiusmodi dispensatione, nec venialiter quidem peccare. Sanch.

63. *Quis voluntariè occidit sacerdotem, & in petenda dispensatione ab irregularitate, solum dicit se hominem occidisse, est ne valida dispensatio?* Validam esse cum Sanchez assero.

64. *Est ne subreptitia dispensatio, quando tacetur aliquid, quod secundum Curie stylium est necessariò declarandum?* Sanchez sentit subreptitiam esse, Granadus autem contrarium edocet. Adhæserim Sanctio.

65. *Data est dispensatio à Confessario habente potestatem sola mente, sine ullis verbis: fuit ne valida?* Sentio cum Iurriano Turri. validam fuisse, cum putavit tam ipse, quam pœnitens, non esse necessarium verbis expressis fieri.

66. *Dispensatio ex literis pœnitentiarie debet ne fieri in Confessione*

234 *Moralis Theologia Tract. I. Leges,*
fessione Sacramentali? Debet, ut patet ex clausula nunc addi-
solita: audita Confessione, non aliter, neque alio modo. Ita Fil-
lucius. Num valeret, quamuis confessio esset inualida? Suarius
affirmat, modò id non oriretur ex defectu integritatis circa
rem, de qua petitur dispensatio. Colligo Confessarium hu-
iusmodi debere esse ab Ordinario approbatum saltem respec-
tu petentis dispensationem; alias enim non potest eius con-
fessionem audire.




EXAMEN XVII.

De Legibus circa materiam de priuilegio
Bullæ Cruciatæ.

CAPVT PRIMVM.

De ijs, quibus frui datur Bulla priuilegio.

1.  *Ut hæc Bulla Cruciatæ appellatur? Quia in-*
dulta in ea concessa ijs assimilantur, quæ
concessa sunt in Concilio Lateranensi sub
Innocentio III. Christianis militibus, qui
suscepto Crucis signo ad recuperandam
sanctam terram, Christianique nominis hostes comminuen-
dos proficiscebantur.

2. *Quæ nam Cruciatæ priuilegia specialiter conceduntur?*
Hispaniarum Regnis: ijs tamen fruuntur non solum incolæ,
sed etiam exteri, qui tempore concessionis in Hispaniis ne-
gotiandi causa, aut aliquid aliud gerendi versantur; etiam si
postea ipsi quouis gentium proficiscerentur. Prohibet tamen
Bullæ textus ijs esum carniû, & lacticiniorum extra Hispan-
nam.

3. *Lucrantur ne indulta Bulla Religiosi ab Ordinarij potestate*
exempti? Lucrantur, imò possunt absque suorum Præsulum li-
centia opera iniuncta facere, quæ absque suæ obseruantia de-
trimento exequi valent, ut ieiunare, preces fundere, &c.

4. *Frui ne potest Papa huiusmodi à se concessis indultis? Po-*
test; quia ipse est caput Ecclesiæ, & ideo membrum principale
illius fruitur totius corporis commodo.

5. *Prælati Regulares tenentur ne non imbedire, ut subditi*
Bullam accipiant? Sub mortali tenentur. Possunt tamen li-
centiam

centiam suam quoad talem, vel talem vsum iuxta constitutionum præscripta, aut Religionis privilegia limitare.

6. *Bulla quam meretrix de turpi quæstu sumit, valida ne?* Ita planè; quia licèt turpiter sese gerat peccando non tamen turpiter pretium peccati acquirit.

7. *Quid si ex furto sumatur Bulla?* Non valet; quia hanc eleemosynam vult Pontifex ex bonis propriis erogari.

8. *Qui scit parentem, vel amicum solere quotannis Bullam pro se accipere, potest ne eius frui privilegiis, antequam certior fiat de Bulla suo nomine accepta?* Potest; nec opus ad eum remitti Bullam, vti eius fruatur indultis.

9. *Quandiu Bulla durat?* A publicatione in publicationem. *Quid si post tempus anni elapsum, aliàmque publicationem emissam, duobus aut tribus diebus velim Bulla prælapsa virtute frui?* Non repugnarim; parum etiam pro nihilo putatur.

enim

CAPVT II.

De privilegio audiendi Sacrum tempore interdicti, & sepeliendi.

10. **V**irtute Bulla possum interdicti tempore Sacrum exaudire: rogo, num diebus festis tenear hoc privilegio vti? Existimabam aliquando teneri ac si interdictum non adesset, quia cum possum debeo. At crescente Doctorum suffragio iam affirmo minimè teneri; quia non esset privilegium, sed onus, si ex ipso indulto aliqua exurgeret grauatio.

§. 1.
Privilegium audiendi Sacrum.

11. *Privilegium de interdicto extenditur ne ad cessationem à diuinis?* Minimè; est enim grauissimum Ecclesiæ flagellum, quod expressandum fuisset; vt posset extendi.

12. *Potest qui Bullam accipit, sepultura Ecclesiastica cum moderata pompa beneficio frui: quidnam per moderatam exequiarum pompam intelligendum?* Dimidietatem solemnitatis solitæ exposuerim, iuxta personarum qualitatem, & statum. *Num circa omnia?* Circa omnia quidem, videlicet circa pulsanda cymbala, officium canendum, reliquum verò relinquatur Ordinarij arbitrio, si adfuerit. Ita in Bullis Pij IV. datis anno 1563. declaratur. Porro circa comitatum ciuium nil limitandum censeo; nec enim facilè aut sanguinis, aut amicitiae poterit quis affectum prohibere.

§. 2.
Privilegium sepulturae.

CAPVT III.

De edendi carnes, ac lacticiniorum usus
priuilegio.

§. 2.
Priuile-
gium e-
dendi
carnes.

13. **B**ulla virtute possunt carnibus vesci de medici vtriusque consilio: si id eodem Quadragesima tempore ius commune concedit, quòdam hoc Cruciatæ indultum? Rodericus indecisam reliquit quæstionem, asserens alibi nil nouæ facultatis ibi concedi, sed tantum ius commune explicari. Nil prorsus dat Cruciatæ. Ego autem cum Sanctio assero virtute Bullæ concedi facultatem edendi carnes ex vtriusque medici licentia non solum quando est causa manifesta, quod sine Bulla, imò sine licentia effici potest: nec solum quando est dubia, ad quod licentia illa requiritur medici vtriusque, vel saltem corporalis: sed etiam quando solum est sufficiens ad petendum dispensationem, non tamen ad edendas carnes sine illa.

§. 2. 14. Mittitur Iubileum præscribens vt lucraturus Indulgentias tres dies ieiunet: possunt ne ex priuilegio Bullæ hæc iugium vniua cum lacticiniorum esu impleri? Possunt; quia Iubileum ieiunandi laud strictius ieiunium requirit, quàm est Quadragesimalis ieiunij. quod cum esu lacticiniorum impletur.

15. Dispensatus ad esum carniū virtute Bulla potest ne simul pisces edere? Potest, vt in materia de ieiunio asserui.

16. Bulla à lacticiniorum priuilegio excipit Regulares omnes, & Clericos seculares Presbyteros: num hi Dominicis Quadragesima possunt lacticinij vti? Ita planè; quia secundum ius commune dies Domini Quadragesimæ non appellantur Quadragesimales. Addiderim consequenter non egere huiusmodi Sacerdotes, & Regulares Bullæ priuilegio, sicut non egent seculares ipsi, vt lacticinij vtantur diebus Quatuor temporum, & Vigiliarum, qui quidem dies ieiunij Quadragesimales non sunt.

17. Num Nouitij Religionum Bullam habentes possunt lacticinij vti? Possunt vt seculares; quia Nouitij quoad Religionis onera Religiosi non censentur, sed quoad priuilegia.

CAPVT IV.

De Indulgentiarum lucretione, operibusque per
Bullam iniunctis, ad eas con-
sequendum.

18. **L**egisti apud Bullam Indulgentiarum catalogum; sus-
pensionem item aliorum Indulgentiarum, aliorumve
privilegiorum per Bullam factam durante illius tempore erga
eos, qui illam non habent, vidisti quam precor Indulgentia,
quamve privilegia per Bullam suspenduntur, ita ut ij qui
Bullam non habent, minimè fruantur? Non omnes Indulgen-
tiæ nec privilegia omnia, sed eæ solæ Indulgentiæ, & ea pri-
uilegia sola, quæ per hanc Bullam conceduntur, v. gr. similes
Indulgentiæ plenariæ: similia privilegia sepeliendi Eccle-
siastica sepultura interdicti tempore & alia huiusmodi su-
spenduntur: ut soli ij qui Bullam habent, eis perfruantur.
Nam clausulæ reuocatoriæ generales solum comprehendunt
privilegia contra concessionis consecutioni, non verò alia,
quæ impedimento tali concessioni non sunt. Et ideo siue simi-
les indulgentiæ concedantur personis, siue domibus sacris,
similia privilegia suspenduntur per hanc Bullam, præter eas,
quæ superiores Religionum mendicantium concedere pos-
sunt suis Religiosis tantummodo ex vi suorum privilegio-
rum; nam quæ habent simul cum secularibus communia, id
est, quibus tam ipsi, quam seculares frui possunt etiam su-
spenduntur quoad regulares.

19. Suspenditur ne per Cruciatam gratia, quæ alicui Altari
solet adesse animam à Purgatorio liberandi Missæ Sacrificio?
Existimo proculdubio suspendi.

20. Dicendum ne idem de privilegijs in iure communi con-
cessis? Minimè; est enim ad suspendenda, vel reuocanda ea,
quæ in iure communi continentur, necessum, ut fiat expressa
mentio; id quod etiam de consuetudinibus vsu approbatis
affirmo. v. gr. possunt Ordinibus minoribus initiati interdicti
tempore Sacrum audire, & Diuinis Officijs adesse de iure
communi: etiam sine Cruciatâ poterunt. Item Religionum
Superiores ex iure communi habent potestatem literas fra-
ternitatis conferendi, quibus fratres facti per eas frui possunt
pijs Religiosorum operibus: possunt easdem tempore Bullæ
Cruciatæ dare cum effectu participationis.

stante

21. Tempo

21. *Tempore Cruciatæ durante, Bulla Cœna expenditur reuocans, & derogans omni priuilegio: derogatur ne priuilegio Cruciatæ absolutionem à casibus in Bulla Cœna expressis obtinendi? Minimè, ne Pontifex sibi contrarius esse videatur. Nec denique Cruciatæ vis per anni centesimi Iubileum suspenditur, vt latè probat Henriquez.*

22. *Per Bullam ad lucratiõem Indulgentiarum ieiunium indicitur eisdem diebus, quibus vel ex præcepto Ecclesiasticis vel ex voto teneor ieiunare: rogo, num satisfaciam utriusque obligationi? Satisfacis; quia opus præcipitur à Bulla, vt satisfactorium est; opus verò ad quod teneor ex præcepto, aut voto, adhuc factum ex præcepto, vel voto satisfactorium.*

23. *Potest ne ieiunium in aliud opus, pium commutari? Potest, & quidem à solo confessario electo, vel Parocho. Ita Bullæ expressus contextus.*

24. *Quantam sufficiens ad huiusmodi commutationem? Ea, & sola, quæ hominem talem à non ieiunando, ex præcepto excusaret.*

25. *Præscribit Bulla, vel Iubileum, vt tribus hebdomada diebus, feria scilicet quarta, sexta, & Sabbato ieiunetur, oratio fiat, & eleemosyna: satis ne, si hæc quibusvis hebdomada diebus fiant? Satis planè. Ita à Gregorio XIII. Societatis nostræ Patribus declaratum.*

26. *Quantitatē eleemosynæ assignatam pro Bullæ susceptiõne vides: qui his in anno eleemosynam huiusmodi elargitus fuerit, lucrabitur ne bis indulgentias, & fruatur indultis? Maximè; vti ex verbis Bullæ plumbeæ manifestè constat.*

27. *Concedit Pontifex, vt qui iuuerit quacumque eleemosyna aliquod pium opus, consequatur tot, vel tot indulgentias: satis ne diuiti teruntium in arculam immittere? Communiter affirmant Doctores tantum quemque indulgentiarum lucrari, quantum in æqua Dei æstimatione eleemosynæ valent, cum hominis arbitratui à Pontifice relinquatur. Id quod abnego in Cruciatæ tenere. In ea etenim certa eleemosynæ quantitas præscribitur. Vnde priuilegiis, ac indulgentiis Bullæ æqualiter fruatur, qui assignatam eleemosynam erogauerit. Quod si de alia eleemosyna alij pio operi conferenda fermo sit, tantum proculdubio quis indulgentiarum lucrabitur, quantum eleemosynæ valere in Dei conspectu reperitur.*

28. *Visitatio denique Ecclesiarum ad indulgentias Cruciatæ consequendas inicitur: quid precor, Ecclesiæ nomine intelligendum*

gendum est? Quoduis Sacellum Ordinarij erectum auctoritate. Num satis, quinque eiusdem Ecclesiæ altaria visitare? Satis; quia Bulla disunctiuè loquitur. Itaque Ecclesiæ visitentur, aut quinque eiusdem Ecclesiæ altaria. Quid si unicum adsit altare? Probabiliter sufficiens, si unicum quinquies visitandum adoriaris.

29. Assignatur ab Episcopo ad Iubilæum certa Ecclesiæ visitanda: possunt ne Clerici aut Religiosi illius Ecclesiæ ibidem indulgentias lucrari? Possunt.

30. Præ multitudine populi Ecclesiam ingredi non valeo: sufficit ne à foris mente & reuerentia Ecclesiam salutare, & altaria inuisere? Sufficit.

31. Possum ne ad lucrandas indulgentias, ex uno loco quinque altaria, vel unum si quinque non adsint, visitare? Si quinque sint altaria, sufficit, si ex eodem loco visitentur. Si unum solummodo, quinquies visitandum. Attamen probabile existimo non esse opus loco dimoueri, sed eodem loco fixum posse illud quinquies visitare, dummodo, qualibet visitatione finita, saltem corpus & caput inclinetur, in distinctæ visitationis signum.

32. Possunt ne sapius quinque altarium Indulgentia eodem die obtineri? Probabile admodum iudico, & quotidie me eas lucrari, & toties quoties eadem die, & operi incumbo.

33. Quanam sunt intentione Ecclesiæ, seu altaria quinque visitanda? Pro lucranda Indulgentia. Hoc autem non tollit, quin minus principaliter ad eam Ecclesiam seu altaria pro alio etiam negotio gerendo, cuius gratia easdem necessariò adirem.

34. Ad lucrandas Bullæ Indulgentias, requiritur ne, ut Confessarius eas concedat? Ad Indulgentias visitationis Ecclesiæ minimè; ad Indulgentiam plenariam semel in vita, & in mortis articulo rursum consequendam, Confessarij opus requiritur. Debet ille uti forma à Commissario exposita; quæ si non usus fuerit, verè adhuc impertit Indulgentias. Satis dicere: Concedo tibi omnes gratias, quas concedere possum virtute huius Bullæ; quando autem concedenda est pro mortis articulo Indulgentia, salubre consilium, non nisi quando pœnitens delinquere mortaliter nequeat, iuxta mortale iudicium, illam concedere; ut absque Purgatorij pœna valeat in cœlum auolare.

35. Confiteor crimina, ut Indulgentias Bullæ adipiscar; Confessarius me ex malitia non absoluit, lucror ne Indulgentias? Lucraris iuxta perspicuam Bullæ clausulam.

CAPVT V.

De eligendo Confessario.

36. **D** *At copiam Bulla idoneum eligendi Confessarium, & approbatum: rogo quinam talis censendus, ut priuilegio Bulla eligi possit? Qui vel Parochiale habet beneficium, curam scilicet animarum: vel qui ab ipso Episcopo fuit idoneus iudicatus. Non loquor de cura animarum, quae Praelatis Religionum commissa est. Quare affirmo hos minime à secularibus licet domesticis posse eligi in Confessarios absque Ordinarij approbatione. Nec approbati censentur qui publicum gradum Theologicae vel Canonicae scientiae susceperunt, Doctores scilicet, & Licentiati.*

37. *Repulsam quis idoneus malitia Episcopi passus est: poterit ne in Confessarium eligi? Cum Suario respondeo negatiue, quia Concilium hanc conditionalem apponit: Nisi sit approbatus, non possit. Et quisnam alias non proclamaret, sibi iniuste negatam approbationem. Vnde non approbo Nauarrum de Regularibus Mendicantibus contrarium iuxta priuilegia Constitutionum suarum affirmantem.*

38. *Confessarius ne Vallisoletanus approbatus ab Ordinario illius Dioecesis potest virtute Cruciatæ eligi à Burgensis Metropolitae poenitente? Congregatio Cardinalium resp. 1159. affirmatiue respondet. Imò circa Regulares eligentes virtute lublai confessarium idem declarauit, ut sit approbatus à suo met Episcopo.*

39. *Quid si Confessarius secularis approbatus in vna Dioecesi, pergat in aliam? Potest ibi eligi virtute Bullæ; quia Congregatio Cardinalium solam Episcopi Confessarij approbationem requirit.*

40. *Affirmandum ne idem de Regularibus semel ab Ordinario approbatus? Regularis approbatus in vna Dioecesi, haud censetur in omnibus approbatus, ut inibi absque noua Ordinarij approbatione audiat confessiones sine aliquo electus priuilegio. At virtute Cruciatæ eligi in Confessarium potest in Dioecesi, in qua ut hospes versatur; quia declaratio Cardinalium solam requirit Ordinarij Confessoris approbationem. Ordinarius verò Regularium quoad hunc effectum est ille, cuius Episcopatus sunt incolæ, licet alibi versentur ut hospites. Quod si mutet domicilium, egere noua approbatione aliqui affirmant. Sed non improbabiler alij idoneum,*

& eligibilem farentur eum, qui semel fuit approbatus, vt etiam mutato domicilio absque Cruciatâ virtute confessiones exaudiat.

41. *Approbatus sum, vt confessiones oppidi cuius audiam, non aliorum: obstat ne limitatio hac approbationis, quominus non valeam à quouis totius diœcesis eligi?* Non obstat; quia huiusmodi minister est approbatus, quòd solum Bulla requirit.

42. *Num Regulares possint sine licentia Prælatorum, virtute Bullæ eligere Confessarium?* Ad peccata mortalia non reseruata possunt. Scio ex vi Decreti Clementis VIII. posse eligi in Confessarium eum, qui ex approbatis, & deputatis à Superiore esset ad Regularem illorum confessiones audiendas. Sed quia decretum Clementis VIII. innouatum est à Sanctiss. D. N. Urbano VIII. anno 1630. Iunij 19. Saltem dum viuit Urbanus contrarium non est probabile, nec in praxi tutum. Vnde iuxta idem illud decretum non poterunt Regulares per Bullam Cruciatâ de reseruatis etiam à Confessario domus absolui, vel ab aliis à Superiore designatis, nisi expressè ei copiam ad reseruata crimina largiatur. Porrò id priuilegium concessum est Religionum Mendicantium Superioribus, nec per Bullam Cruciatam reuocatum. Circa Moniales extat Congregationis Cardinalium declaratio. Addiderim tamen, si alicuius Religionis Prælati nunquam huiusmodi reuocatoria priuilegia suis in Capitulis generalibus, aut Prouincialibus promulgarint (non habente vim lege reuocatoria Priuilegiorum ante sufficientem promulgationem) & scientes Religiosos virtute Cruciatâ absolui solitos, tacent, & ideo videntur consentire, probabile esse quoad praxim Religiosos, Monialesque posse Bullæ priuilegio Confessarium ad reseruata eligere. Vnde eum, qui bona fide iuxta prædictam suppositionem priuilegio Bullæ vsus esset, non cogere confessiones iterare: secus eos, qui promulgata à Superioribus reuocatione, minimèque assentientibus, imò repugnantibus, punientibus, adhuc frenetici passione, somniato priuilegiato Bullæ vt tentassent. Bene meus doctissimus Magister *Petrus Hurtado de Mendoza* hanc animi ad crimina proni opinionem esse dicebat, qui ad delinquendi facilitatem captandam rationes non rationes quodidie excogitat. Existimo equidem, nullum doctum posse contrariæ sententiæ hærescere post doctissimum *Carinialis de Lugo* de hac materia tractatum.

43. *Quid de N. uitiis: Possint ne virtute Bullæ Confessarium*

Q

1120

eligere ad absolutionem casus suo Pralato reservati? Possunt
& iuris communis vi idem valent; quia solum ad honores,
ad onera minimè, Religiosi censentur.

44. *Requiratur, ut virtute Bulla possit eligi Confessarius,
non solum qui approbatus sit, sed qui in super sit idoneus: rogo,
quidnam est idoneum eligi Confessarium? A Pio IV. idoneus
censetur, Non suspensus, non irregularis, non excommunica-
tus, non interdictus, nec alio modo à suo impeditus Superio-
re. Attamen affirmo virtute Bullæ posse à te in Confessa-
rium Parochum proprium, etiam si excommunicatus sit, eli-
gi; quia parochianus petis, quod tuum, à Parocho quidem
propriæ malitiæ reo. Quod si non sit Parochus, licet sponte
sua quibuscunque audiendis exponatur, eligendus non est,
nisi magna necessitate cogente.*

45. *Quoties ex vi Bulla potest poenitens ab electo Confessario
absolui? De grauioribus delictis, & censuris in Bulla specia-
liter expressis semel in vita, & semel in morte; de aliis toties
potest absolui, quoties Confessurus accedat.*

46. *Quidnam Bulla vi priuilegium in mortis articulo con-
ceditur, Confessarium eligendi, si tunc nullum est reservatum
crimen, quod vel simplex Sacerdos non valeat absolvere? Etiam
in articulo mortis, absolute loquendo, seruandus est ordo di-
gnitatis, dum necessitas ad aliud non cogit. Et ideo præsertim
eo, qui possit absolvere à reservatis, non potest absolvere, qui
tali caret potestate. Ex priuilegio autem Bullæ potest qui-
libet Confessarius approbatus à poenitente electus etiam qui
iuxta ius commune debebat, absolvere.*

47. *Quidnam est mortis articulus intelligendus? Aliud est,
me auctore, periculum mortis, aliud articulus. Periculum est
euentus, in quo iuste timeri potest mortem euenturam, v. gr.
periculosa nauigatio, prælium committendum. Articulus
autem mortis est euentus, in quo quis iam naturaliter de-
sperata salute est ad moriendum proximus, v. gr. qui maligna
febre teneretur, aut lethali sauciaretur vulnere. Ex vi Bullæ
tantum potest in articulo mortis seu vero, seu præsumpto,
absolutio conferri. Attamen quia confessioni gerendæ non
est nouissima anxietas accommodata, minimè expectandum
ad omnimodam salutis corporeæ desperationem, sed sufficit
reputari probabile agitudine esse lethalem. Nec aliter
mentem Pontificis reor interpretandam, qui pater aegroti sa-
luti animi debet accuratè consulere, Confessione scilicet mi-
nimè ad illud prolata discrimen, quando non facile debito
cum pondere exeritur.*

banquam

48. Constituitur quis in articulo mortis. præsumpto: potest ne Confessarius Indulgentiam sub condicione impertiri, si verè diem tuum obieris, alioquin ad mortis instans tibi à Deo hæc Indulgentia reseruetur? Potest, imò ita fieri iubet Cruciatâ commissarius.

CAPVT VI.

De Peccatis, aliisque, à quibus absolueri potest
Confessarius per Cruciatam
electus.

49. **A** Queisnam peccatis Confessarius Bulla virtute electus potest absolueri? A queiscunque peccatis, & censuris: censura autem quatuor adnumerantur, excommunicatio, suspensio, irregularitas, interdictum.

50. Quidnam obseuandum circa absolutionem ab excommunicatione? Non tenet absolutio nisi satisfactione partis præmissa. Fit autem si vel rei debitæ (si res ipsa non potest) redditur, qualitas, vel pignora exhibeantur, vel saltem iuret pœnitens se satisfacturum, cum primum potuerit. Professio vnica absolutio ligatum pluribus excommunicationis vinculis expedire potest similibus verbis: *Absoluo te ab omnibus, quibus detineris, excommunicationibus.* Id quod necessariò præstandum intra ipsum pœnitentiæ Sacramentum, vti legenti Bullam patebit. Vnde non est exterioribus ceremoniis impertienda huiusmodi fori conscientie absolutio: nec ad forum exterius valere potest. *Potesi ne Confessarius virtute Bulla electus absolueri ligatum nominatim excommunicatione ab homine, quoad conscientia forum?* Minimè, nec per aliquod aliud priuilegium, nisi prius parti læsæ satisfaciat. *Parti læsa longè abest, iudex qui te excommunicauit nominatim, vult confessione præmissa te Indulgentias Bullæ lucrari, deponis apud fideiussorem fidelem rem debitam: poteris ne à peccatis, excommunicationeque absolui?* Potero; quia ea censenda iusta partis voluntas, quantum in se est præstante debitore. Imò si centum deberem aureos, impotens soluere, ab excommunicatione postera liberari faciens quod in me est. *Quid si postmodum potens effectus nolles parti læsæ satisfacere? In eandem ne reincideres excommunicationem?* Minimè, non enim est Confessario potestas ad reincidentiam, cum taliter absolueri circa excommunicandum sit iurisdictionis actus.

Q 2

51. Circa

51. *Circa absolutionem à suspensione requiro, num malitiam ordinatus Presbyter sciens se esse minorem vigesimo quinto anno inchoato, virtute Cruciate in foro interiori possit absolui? Potest; quia huiusmodi censura fuit culpabiliter contracta; de censuris autem culpabiliter contractis valet Bullæ virtute Confessarius electus absolvere. Potest ne absolutus illico celebrare? Si peruenit iam ad ætatem legitimam, potest: si non peruenit, non potest; manetque, si celebret, irregularis quia electus Confessarius potest priuilegio Bullæ tollere suspensionem, non tamen in legitima ætate dispensare.*

52. *Circa absolutionem ab irregularitate inquiram, quam irregularitas appellanda censura? Ea sola, quæ oritur ex delicto, & ab ea sola potest Confessarius virtute Bullæ electus absolvere. Excipe irregularitatem, quæ ab homicidio voluntario siue iusto, siue iniusto exoritur, à qua Bullæ virtute licet ex delicto exoriat, nullus potest absolui.*

53. *Circa interdictum quæram, quidnam priuilegij Pontificis illa concedat in clausula? Vt Confessor electus possit virtute Bullæ interdictum nominatim ab homine (quem non poterat absolvere nisi iudex qui illum interdixerat, vel alius iudex illo Superior in eiusdem fori iurisdictione) ab interdicti censura absolvere, satisfacta prius parte læsa. Potest præterea absolvere à quouis alio interdicto posito à iure, quouis modo Sedi Apostolicæ reseruato. Vnde poenitens possit & Sacramenta suscipere, & Ecclesiasticæ sepulture mandari.*

54. *Quidnam de absolutione à cessatione à Diuinis dicendum? Non dat ad hoc Bulla potestatem; quia cessatio à diuinis censura non est.*

55. *Potest ne virtute Bullæ Cruciate dari ab excommunicationibus in Bulla Cæna expressis absolutio? Potest.*

56. *Denique circa Ecclesiasticam sepulturam interdictis concessam repente mortuis virtute Bullæ Cruciate, rogo, quidnam interdictis hac facultas concedatur? Iis profectò, qui in articulo mortis signa contritionis exhibuere, & minime erant excommunicati.*

57. *Prohibet Bulla excommunicatos mortuos repente, aut sine confessione propter defectum Confessarij cum solis signis contritionis sepultura Ecclesiastica tradi: quoniam modo huiusmodi prohibitio intelligenda? Non, debent humari sacro in loco, nisi prius ab excommunicatione absoluantur. Quoniam secundum ius commune excommunicatus mortuus cum signis contritionis sine absolutione ab excommunicatione, potest*

ab

ab ea post mortem absolui ab eo, qui habet iurisdictionem. Post absolutionem autem cadaver donandum Ecclesiæ sepulturæ exhumarum è loco profano; seu à loco sacro, si inibi iacet, non extrahendum. Satisque tunc virgis terram (corpus minimè,) cadere.

CAPVT VII.

De votorum commutatione.

58. **Q**uoniam vota possunt virtute Bullæ commutari? Omnia præter tria, castitatis scilicet, Religionis, & Transmarina. Possuntne commutari vota Romam, aut Compostellam peregrinandi gratia petendi: quæ Papa assolent referuari? Possunt; quia ubi textus non excipit, nec debemus excipere.

59. **Q**uodnam votum Castitatis non valet Confessarius commutare? Castitatis perpetuæ, & absolutæ. Nam si quis vouit castitatem ad tempus, vel circa vnâ rem veneream, & non alia ad eandem materiam pertinentia. v.g. circa tactus impudicos, seu pollutionem, &c. Non censetur absolute castitatem vouisse; vnde tale votum potest virtute Bullæ commutari; quia non est Papæ referuatum. Ad eandem classem refero votum non nubendi, vel suscipiendi Ordinem Sacrum; quia tales non vouerunt aliam perfectionem, quam ei statui adherere, in quo decens castitatem seruare.

60. **M**ihi hanc pœnam statuo: si tale crimen perpetrauero, uoueo me lesuitarum Ordinem ingressurum: potest ne Confessarius virtute Bullæ hoc votum pœnale Religionis commutare? Probabile reputo cum Henrico posse; quia vota pœnalia non sunt in fauorem, & amorem Religionis emissa, sed quodammodo in criminis detestationem, & mœrorem quasi rem gustui contrariam. Tale autem votum Pontifex sibi non referuat, sed quæ amoris & gaudij stimulis ducant exortum.

61. **C**omprehendit ne exceptio Bullæ etiam votum ingrediendi Religionem militarem D. Ioannis? Ita planè; quia est vera Religio voto solemnè castitatis astricta matrimonium ratum dirimente.

62. **Q**uidnam intelligitur sub nomine ultra mare? Votum ineundi Ierosolymæ peregrinationem.

63. **P**otest ne Confessarius virtute Bullæ iuramenta facta circa eandem materiam votorum commutare? Potest; quia huiusmodi iuramenta facta Deo, sunt vota iurata.

Q 3

64. Voueo

64. Voueo post Bullam susceptam, potest ne hoc votum virtute Bullæ commutari? Potest proculdubio, sicut absolui, qui post publicatum Iubilæum delinquit.

65. Voueo item me nunquam commutationem meorum votorum petiturum: potest ne electus Confessarius, hoc non abstante, mea vota commutare? Potest planè: sed tunc illa vota commutanda in melius.

66. Num vota extra Sacramentum Confessionis commutari valeant? Minimè; nam Bullæ textus circa hoc manifestè disponit.

67. Sub potestate commutandi vota intelligitur ne dispensandi potestas? Non; quia maior ad dispensandum, quam ad commutandum potestas requiritur.

CAPVT VIII.

De Commissarij Bullæ Cruciatæ potestate.

68. **C**ommissario Bullæ potestas dispensandi in irregularitate addicitur: rogo in quam irregularitate dispenset? In irregularitate procedente ex delicto occulto tum quoad forum interius, tum quoad exterius extra confessionem: Confessarius verò non potest nisi quò ad forum Confessionis. Excipio tamen quatuor irregularitates, in quibus Confessarius dispensare non potest: ortam scilicet ex homicidio voluntario, in qua solus Papa dispensat: ortam ex Simonia reali, & perfecta: ortam ex hæresi, seu apostasia fide quamuis occultissima: illam denique, quam incurrunt malè ad Sacros Ordines promoti, si celebrent, qui quidem à die suscepti Ordinis suspensi sunt.

69. *Quoniam in gradu affinitatis potest Commissarius dispensare?* In primo & secundo affinitatis ortæ ex fornicatione, in foro tantum interno conscientie, non quidem vt publicè fiat cum ritu nuptiali iuxta ordinem à Tridentino præscriptum: sed vt factum cum tali impedimento, & ideo nullum, ratum sit Commissarij dispensatione, & maneat verum. Tunc haud necessum, testes adesse, & Parochum, sed satis nouus vtriusque coniugis consensus occultè inter se declaratus.

70. *Quid si post occultam Commissarij dispensationem detegatur illud impedimentum?* Pro foro quidem externo recurrentum ad Papam. Non quod coram Deo matrimonium

nium sit nullum, sed quod externo in foro nullum sit iudicandum.

71. Quanam Bulla conditiones requirit, ut Commissarius possit super hoc dispensare? Tres equidem. Prima est, ut ambo contraheutes (aut saltem vnus) bona fide contraxerint. Secunda, ut antea ignorans, certus modò sit talis impedimenti. Tertia, ut ex dissolutione matrimonij sequatur scandalum.

72. Potest ne Commissarius dispensare in affinitate exorta ex copula fornicaria cum sua uxoris consanguinea, vel è contra cum consanguineo sui mariti ad petendum debitum, quod petere non poterat? Ita planè.

73. Quid plura? Potest etiam cum paucis, & debitis personis dispensare ad Sacrum faciendum vna hora ante auroram, & post meridiem.

74. Potest ne in irregularitate orta ex delicto publico dispensare? Potest in ea scilicet, quam contrahit, v.g. excommunicatus, suspensus, aut interdictus celebrando publicè, aut interdictum violando. Ita plumbea Bulla.

CAPVT IX.

Praxis circa materiam de Bulla Crucciata ex Societatis IESV Doctoribus.

75. AN necessarium, suscipientem Bullam nomen in illa scribat? Negatiuè respondet Henriquez lib. 7. c. 20. De sus- num. 5. Item Bullam ab amico meo nomine inscriptam acceptam possum non acceptam pro me alteri applicare mutato nomine. Non tamen qui semel applicuit vni, applicare postea alteri.

76. Scio, patrem, amicum, aut propinquum singulis annis pro me Bullam sumere, possum ne ea vii antequam tertius fiam? Respondet Henriquez apud Villalobos tom. 1. Henriq. tra. 27. claus. 12. num. 25. affirmatiuè; quia sufficit certitudo moralis.

77. Bulla ad annum concessa, durat ne anno transacta? Responderet Henriquez lib. 7. cap. 20. num. 2. annum Cruciate ab vna publicatione in aliam more Ecclesiastico esse computatione tantum, ita vt, si transacto anno à prima publicatione, adhuc secunda Bulla non publicetur, prima interim valeat.

Q. 4

78. Publi

78. *Publicatur Bulla, sumenda ne prima die post publicationem?* Docet *Henriquez lib. 2. cap. 19. num. 2. gloss. lit. O.* in magna ciuitate non teneri te nouam Bullam prima publicationis die suscipere, sed posse virtute præcedentis priuilegijs uti, & nouam intra tres dies, aut hebdomadam sumere.
- §.3. *De Confessario eligendo per Bullam.*
 Conin. 79. *Confessarius ne approbatus in vna Diœcesi potest virtute Bulla eligi in alia?* Potest; quia cum Bulla solum requirat approbationem Ordinarij, nec exprimat cuius: nomine Ordinarij intelligi potest Episcopus originis, domicilij, beneficij tam Confessarij, quàm pœnitentis. *Coninch de Sacram. d. 8. dub. 7. num. 53.* Scio *Laymanum lib. 5. tract. 6. cap. 11. n. 8.* contrarium asseruisse.
80. *Approbatus est Confessarius tantum ad viros: eligi ne potest à fœminis?* Potest, quia absolute approbatus est ab Ordinario, nec illa limitatio ad viros tantum fuit apposta ex scientiæ defectu, sed ætatis. *Fagund. tract. 2. lib. 7. c. 2. n. 45.*
- Fagund. 81. *Approbatur quis pro vno oppido ex defectu scientiæ, v.g. pro villa, quia ad conscientias ciuitatis ineptus: vel cum limitatione ad facilia negotia, non ad mercatores, &c. potest ne eligi in ciuitate, aut ab eo qui negotia difficilia gerit?* *Fernandez p. 3. cap. 9. §. 8. num. 6.* absolute asseruit. At probabilius abnego; quia limitatio illa ex scientiæ defectu apposta est. An ignorantia laborans Confessarius poterit difficilia mercatorum extricare negotia?
- Fern. 82. *Potest ne per Bullam eligi Parochus ubicumque reperitur, absque Episcopi approbatione?* Potest; quia per Tridentinum absolute approbatur, nec exprimitur, quod ab hoc, vel illo Episcopo reputetur idoneus. *Reginaldus tom. 1. lib. 1. c. 16. §. 3. n. 189.*
- Regin. 83. *Potest ne eligi Prælatus Regularis non approbatus?* *Henriquez lib. 6. c. 6. num. 2. in gloss. lit. E.* quia nomine beneficij Parochialis omnes comprehendi videntur, quibus ratione dignitatis vel officij cura animarum addita est: v.g. Prouinciales, Priores, Generales, Rectores, Guardiani, Abbates &c. Ideo enim Concilium admittit Parochos, quia illis commissa est animarum cura. Adde Regulares Prælatores plerumque literis ac moribus plerisque secularibus habentibus beneficia curata probatiores.
- §.4. *De absolute*
 84. *Secundum Bullam priuilegium est, absolui posse à reservatione à Papalibus quidem semel in vita, & semel in mortis virtute à reservatione autem Episcopo toties: rogo an casus Papales ex re Bulla. culti toties quoties per Bullam valeant absolui?* *Negauit Henriquez*

Henriquez lib.6.cap.4.num.7. At Sanchez sum.tom.1.lib.4. Henriq. cap.54.n.2. asseruit; quia casus Papales cum sunt occulti facti sunt Episcopales per Tridentinum. Sanch.

85. Per Bullam dixisti omnes casus Bulla Cœna absolui posse, hæresis excepta: an nomine hæresis veniant omnes casus in primo canone dictæ Bullæ expositi? Asserit Sanchez. solam hæresim formalem intelligendam. Sanch.

86. Possunt ne absolui virtute Bulla casus reseruatim post eius susceptionem commissi? Possunt; quia Bullæ verba sunt generalia, & non debent restringi. Sanchez sum.tom.1.lib.4. c.53.n.26. Sanch.

87. Quid de peccatis perpetratis ob spem absolutionis à Bulla? Possunt absolui; quia ubi lex non distinguit nos distinguere, præsertim in gratiosis. Filliucius tom.1.tract.8.cap.10. Filliuc. num.262.

88. Quis in Confessione virtute Bulla facta, peccata reseruatim obliuiscitur, ab illis absoluitur indirectè: rogo an debeat, si perit Bulla tempus, memor obliorum criminum, legitimo superiori confiteri? Porro Vasquez in 3.part.tom.4. quest.91. art.3.dubit.5. Vasq. requirit, Confessarium cognitionem habere reseruatorum, aut saltem intentionem auferendi quamcumque reseruationem. At Coninch de Sacr.d.8.dub.12.num.98. Conin. asseruit huiusmodi pœnitentem liberum ab onere reseruationis remanere.

89. Datur in articulo mortis virtute Bulla absolutio à censuris: relinquit ne onus comparendi, si conualescat egrotus? De absolute Minime; quia sine Bulla potest talis absolutio exhiberi, & tamen certum est Bullam pro illo articulo aliquod circa censuras priuilegium donare. Hurtado de Mendoza 2.2.tom.1. rum. d.84. c.3. §.135. Hurt.

90. Potest ne absolui excommunicatus nominatim, publicus Clericus percussor, vel ille, cuius excommunicatio deducta sit ad forum contentiosum, lite non finita? Negat Auila de Auila. cens.part.2.cap.7.dicit.3.dub.10. cont.1. sed Sanchez sum.2.lib.6. Sanch. c.17.n.49. affirmat.

91. An possit absolui quis ab excommunicatione ob intromissionem fœminæ in virorum Monasteria, siue ob ingressum viri in Monialium claustra, seu suspensio à diuinis ob causam prædictam, nempe intromissionis fœminæ in Monasteria Regularium? Asserit Sanchez. sum. Sanch. tom.1. lib.6. cap.17. num.41. non solum semel, sed toties quoties, etiam si causa ad forum contentiosum fuerit deducta.

Hurt. 92. *An absolui possit excommunicatus à Clemente VIII. ob duelli delictum?* Potest (ait *Hurtado de Mendoza citat.*) quia Bulla Cruciatæ non reuocatur, nisi per expressam derogationem, quæ quidem non habetur in illo Clementis proprio motu.

Henriq. 93. *Absolui ne possit excommunicatus ex Bulla Sixti V. lata contra causantes, vel procurantes abortum?* Potest, quia in Bulla Cruciatæ datur facultas absoluendi omnes censuras Papales præter hæresim. Prohibuit expressè *Sixtus*. Non obstat, quia non potuit successorum Pontificum potestatem co-

Henriq. arctare. *Henriquez lib. 6. cap. 10. gloss. lit. E.*
Conin. 94. *Dubius quis est, an aliquam censuram incurrerit: potest ne ad cautelam absolui?* Potest ex *Coninch.* sententia de sac. d. 14. dub. 16. n. 200.

Henriq. 95. *Absolui ne potest quis per Bullam ab aliqua irregularitate?* Negat *Henriquez lib. 14. cap. 17. gloss. lit. L.* quia non est censura. Alij autem probabiliter affirmant ab irregularitate ex delicto proueniente absolui posse; quia hæc vera pena, & censura.

Vasq. Auila. 96. *Potest ne dari absolutio à censuris per Bullam extra Confessionem, v. g. si reus deberet statim absolui, & ad Confessionem paratus non esset?* Negat *Vasquez in 3. t. tom. 4. tract. de excomm. dub. 20. num. 9.* At asserit *Auila de cens. p. 2. c. 7.* adnotans Commissarium Bullæ ita declarasse.

97. *Potest ne quis in utroque foro absolui ab excommunicatione à iure, & ab homine?* Si à iure sit excommunicatio, potest in foro utroque, si ab homine, solum in interno: quia Bulla asserit absolutionem non cadere super censuras latas ab homine in foro exteriori: ex quo colligitur cadere in hoc foro super latas à iure. Clericum ergo Presbyter percussus absoluitur per Bullam potest publice celebrare: nec potest puniri, si schedulam absolutionis ostendat. Porro absolutus in foro interno ob excommunicationem ab homine debet se in publico tanquam excommunicatus gerere. *Auila citat. dub. 12.* Porro *Suaris de cens. d. 7. sect. 5. num. 20.* veramque censuram absolui posse per Cruciatam pro exteriori foro: quia Bulla generaliter loquitur. Addit *Henriquez lib. 3. c. 60. n. 40 g. off. lit. 1.* posse iudicem talem absolutionem pro exteriori foro acceptare.

98. *Ad censura absolutionem per Bullam satisfactionem partis præmitti debere, si censura exigit, scio: rogo tamen, an si Confessarius, omiſſa satisfactione partis, quempiam absoluerit, ab excommunicatione liber remaneret?* Ita quidem, sed cum onere

onere satisfactionis; quia Pontifex in illis verbis: *Prius satisfacta parte*, non intendit potestatem Confessarij limitare: sed illum de sua obligatione iuxta ius commune admonere. Sanchez de Matr. tom. 2. lib. 3. d. 3. n. 3. Porro Henriquez lib. 7. c. 13. n. 2. contrarium asseruit.

Sanch.
Henriq.

99. *Quidnam, precor, satisfactionis nomine intelligendum est? Famæ, vel bonorum temporalium restitutio.* Suarius in 3. part. tom. 5. d. 7. sect. 5. num. 47. *Quid autem nomine partis intelligendam? Persona qui iniuria facta est, non Iudex, cui applicanda esset pœna pecuniaria.* Henriquez lib. 13. cap. 28. num. 1. Henriq.

Suar.

100. *Pono personam offensam publicam esse. v. gr. Religiosum: satisfaciendum ne communitati, aut conventui? Respon-* det Auila cap. 7. d. 3. dub. 11. *negatiuè; quia damnum illud tangit principaliter Monachum, & minus principaliter bonum communitatis.* Auila.

Auila.

101. *Non potest excommunicatus satisfacere parti: potest ne per Bullam absolui? Potest; quia non est verisimile, Papam conditionem impossibilem requirere.* Coninch de Sacram. d. 14. dub. 16. num. 206. *Addit Sanchez sum. tom. 1. lib. 2. c. 20. num. 19. etiam si caueretur, ne quis extra mortis articulum possit absolui, non satisfacta parte: posita impotentia absolui posse extra mortis articulum.* Sanch.

Conin.
Sanch.

102. *Dixisti, per Bullam commutari posse omnia vota præter vota castitatis, Religionis, ac Peregrinationis ultramarina: rogo, quam peregrinatio ultra marina? Ea, quæ fit in Ierosolymam, quæ ultra nostrum mare est collocata. Col- ligo vota peregrinationis Romam, & Compostellam, quæ alioqui sunt reseruata, posse per Bullam commutari.* Fernan- dez part. 3. cap. 9. sect. 2. §. 17. num. 7. *igitur commutari possunt per Bullam omnia vota, quæ commutare, & dispensare potest Episcopus: idem de iuramentis asseruero; quæ inquam dispensare potest Episcopus, vt Episcopus ex ordinaria potestate: non quæ dispensare potest ex consuetudine, vel vt Sedis Apostolicæ delegatus. v. gr. Episcopus cum eo, qui post votum castitatis contraxit dispensat ad petendum debitum, ex consuetudine quidem, non de ordinaria potestate: & ideo non potest virtute Bullæ dispensari.* Sanchez tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 20. Sanch.

§. 7.
De Com-
muta-
tione vo-
torum.
Fern.

103. *An vota quæ dixisti Episcopum dispensare posse vt Episcopum, possint per Bullam dispensari? Dixi posse commutari, non dispensari; quia solum in Bulla commutandi potestas impenditur, at dispensandi potestas ma-* ior

ior

Fern. ior obiicitur, vnde in illa non comprehenditur. *Fernandez p. 3. c. 9. sect. 2. §. 17. num. 6.*

Azor. 104. *Potest ne commutari votum pœnale, quoad pœnam pecuniariam? Negat Azorius part. I. lib. II. cap. 18. quas. 11.* Ast ex aliorum sententia probabiliter potest affirmari; quia pœna illa tantum debetur ex vi voti, quod per Bullam commutatur.

Sanch. 105. *Potest ne commutari votum in fauorem tertij emissum, v. gr. votum de elemosyna alicui eroganda? Potest, si tale votum non sit à tali persona, vel Ecclesiæ Præposito acceptatum; quia præcisa acceptatione, nullum ius acquisiuit ille, in cuius fauorem fuit emissum. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 3. cap. 41. n. 9.*

Sanch. 106. *In quanam opera sunt vota commutanda? Partim in elemosynam ad belli subsidium, partim in aliarum virtutum opera. Sanchez citat. c. 54. n. 58.*

Suar. 107. *Quid si à paupere sit votum emissum? Putat Sanchez ibid. deberi in exiguam elemosynam suæ exigentiæ conformem commutari. Suarius autem de Religios. tom. 2. lib. 6. cap. 19. numer. 18. totaliter posse in opera aliarum virtutum docet posse commutari; quia quamuis intentio Pontificis in Bulla sit de subsidio temporali, potest tamen in fauorem pauperum interpretari probabili episcopia.*

Lessius. 108. *Debet ne fieri hæc commutatio in bonum æquale? Potest in minus; quia in bonum æquale simplicis Confessarij auctoritate commutari poterant vota: ergo aliquid Bullæ priuilegio dandum. Lessius lib. 4. cap. 40. dubitat. 16. num. 19.*

Suar. 109. *Requiritur ne iusta causa ad votorum commutationem? Non; quia Pontifex concedit indultum in belli subsidium, tanquam propter causam finalem vnicam. Suarius de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 19. n. 10.*

Sanch. 110. *Delinqueret ne Confessarius, qui ^{nollet} nequiret sine iusta causa, vota commutare? Ita planè, quia est Iudex delegatus per Bullam, vt illius indultum impendat pœnitenti, ad quod ius habet. Sanchez ubi supr. n. 12.*

Less. 111. *Commutat Confessarius votum virtute Bullæ: potest ne suspendere assignationem nouæ materiæ, post annum illius Bullæ assignaturus? Potest, & vouens interim ad nihil tenetur; quia obligatio prioris voti per illam commutationem assignandam suspensa est. Lessius lib. 2. cap. 40. dabitur. 16. num. 109.*

112. Bulla Crucciata virtute fidelibus indulgentia conceduntur §. 8.
 tur : *quanam illa, & quonammodo earum lucratiōi studendum?* De in-
 Concedit Bulla indulgentiam plenariam (vt vidimus) semel *dulgen-*
 in vita, & semel in morte, hæc quidem quando applicatur, *tiarum*
 apponenda conditio : *Si obieris.* Potest applicari etiam *sen-* *lucratiō-*
 bus destituto, imò absenti, si v.g. Parochus postquam extre- *ne.*
 mam vnctionem contulit ægroto, oblitus est ei hanc indul-
 gentiam applicare, & instante morte, non potest moribun-
 dum adire. Potest applicari indulgentia per verba absolu-
 tionis Sacramentalis : *Absoluo te.* Si Sacerdos non adest,
 potest Clericus vel laicus verbis à Commissario appositis
 absolueri, concedit etiam Bulla stationum indulgentias, de
 quo inferius.

113. *Confessionem Bulla requirit ad lucrandam indulgen-*
tiam : requiritur ne num sit conscientia mortalis? Ad venialia
 solummodo, probabiliter non requiritur; quia Ecclesia solum
 de mortalibus assolet præcipere Confessionem. *Potest exigi à*
Bulla vt opus iniunctum. Non exigitur; quia non dicit, *Præ-*
missa, aut facta Confessione. Imò (*Coninch* autore *de sacr. d. 12.*
dub. 7. n. 38.) etiam si hoc diceret Bulla, de mortalibus esset
 intelligendum : Sic *Suaris* in *3. p. tom. 4. d. 52. sect. 3.*

114. *Peccatis quis mortalibus illigatur : rogo, num necessa-*
ria sit præsens Confessio? Porro *Filliucius* tom. 1. tract. 8. cap. 6.
 g. 8. n. 148. sufficere Confessionem Quadragesimæ præteritæ
 cum præsentis contritione, & proposito confitendi in futura;
 quia contritus secundum ius confessus dicitur.

115. *Suppono necessariam esse præsentem Confessionem ad*
indulgentiarum virtute Bulla lucratiōem ex aliorum sen-
tentia : rogo, si aperio peccata lucrandarum indulgentia-
rum intentione, & me ex malitia Confessarius non absolue-
ret, lucraret ne Bulla indulgentias? Affirmatiuè responder
Antonius Fernandez de Cordoua p. 3. c. 9. §. 19. n. 3. quia *Fern.*
 Bulla indicit Confessionem pœnitentis, non Confessarij
 absolutionem.

116. *Ex Bulla priuilegio conceditur (vt dixisti) facul-* §. 9.
tas de licentia medici vtriusque edendi in Quadragesima car- *De la-*
nes : quanam sit huiusmodi licentia, si ex vtriusque medici officio-
facultate possit quilibet carnibus vesci sine Bulla indultu- *rum, &*
Putat Lessius lib. 4. cap. 2. dubitat. 6. numer. 45. quando *carnis li-*
causa est dubia, Bullæ indultu licere carnis vsum, qui *centia.*
sine Bulla saltem leui piaculo afficeretur. Alij probabi- *Less.*
lius asseruere Bullæ indultum valere, vt cum causa non est
sufficiens ad carnes edendas, sed solum ad petendam dispen-
sationem.

fationem. v. gr. si timeretur aliquale detrimentum ex abstinentia carniū promanaturum, quod tamen si existeret, non tolleretur obligationem de non edendis carniū, cum leges positivæ obligent cum aliquali labore. Subscribo huic

Sanct. *Sancti sel. disp. 51. num. 9.* expositioni, potius quàm Lessij causæ dubiæ; quia quando causa est dubia, potest quisvis carniū sine Bulla vesci.

117. *Bulla indultu possunt in Regnis Hispania commorantes uti ovis, & lacticiis in Quadragesimalibus diebus: rogo, si incolæ Hispaniarum, extra Regna nostra proficiantur, brevi reuersuri, possunt Bulla indultu potiri? Affirmatiuè respondeo*

Sanch. *ex Sanchez de Matr. tom. 1. lib. 3. d. 18. num. 7.* doctrina asserentis Mediolanensem transeuntem per oppidum, vbi vigeret commune, brevi reuersurus in patriam posse vesci carniū quatuor primis diebus Quadragesimæ, quod est priuilegium locale Mediolani; quia brevi reuersurus non dicitur abesse.

118. *Suppono, lacticia prohibita esse, usumque ouorum in ieiuniis Iubilæi, & vigiliarum, (quod superius negasti:) rogo, an ea ieiunia impleri possint edendo per Bullam lacticia, & oua? Possunt planè ex sententia Sanchez summ. tom. 1. lib. 2. c. 11. num. 49.* quia si Iubilæi, & vigiliarum ieiunia Quadragesimalia appellas, Bullæ indultum cuncta Quadragesimalia ieiunia complectitur.

Sanch.

119. *Possunt ne Regulares, & seculares Presbyteri uti ovis, ac lacticiis Dominicis Quadragesimæ? Alij negant, alij probabiliter affirmant; quia in iure communi dies Domini non appellantur dies Quadragesimales.*

§. 10. 120. *Potest ne Bulla priuilegio eligi Sacerdos, à quo extra Pascha Sacram Communionem, & Extremam Vnctionem accipias? Suarius negat in 3. part. tom. 3. d. 72. sect. 4. sed Vasquez in 3. part. tom. 3. d. 219. cap. 5. num. 47. affirmat, Bullæ verba circa hoc indultum adducens.*

De aliis Bulla priuilegiis.

Suar. 121. *Potest ne quis in die Paschatis in priuato oratorio communicare virtute Bulla? Potest; quia Pontifex in illa clausula, excepto die Paschatis, solummodo Communionem Paschalem excipit, quæ ad implendum præceptum geritur. Vnde qui præceptum impleuit, v. gr. die Iouis, aut Dominica Quasi modo implere intendit, potest in die Paschatis in priuato Oratorio Eucharistiam accipere. Suarius in 3. part. quæst. 82. art. 3. d. 72.*

Vasq.

Suar.

122. *Quid tempore interdicti? Habens Bullam, potest vnà cum familia Sacrum audire, vel celebrare tempore interdicti*

in

in Ecclesia, vel Oratorio priuato; nisi interdictum per ipsum inceperit, aut perseueret. *Teneturne audire?* Minimè, quia priuilegium est, & nemo tenetur eo uti; aliàs non esset priuilegium, sed onus. *Auila de cens. part. 5. d. 4. sect. 2. dub. 6.* Auila.

123. *Quinam autem nomine familia intelliguntur?* Con-sanguinei vtriusque lineæ, at domestici, qui quidem possunt facio, domino absente, interesse. Profecto Oratorium ab Episcopo approbandum. At sufficit licentia iustè petita, & non obtenta; quia censetur Papa concedere.

124. *Potest ne quis extra Regna Hispania uti priuilegiis Bullæ in Hispania suscepta?* Qui sumit Bullam in Castellano Regno, v. gr. & postmodum Romam petierit, potest sibi Con-fessarium eligere, & cum illo à reseruatis absolui, &c. Excipiendum priuilegium edendi carnes, & lacticia; quia hoc tantum commorantibus in Regnis Hispaniæ conceditur. §. II. De Bulla varia.

125. *Possunt ne ampliari Bullæ priuilegia?* Negauit *Sanchez de Matr. lib. 8. cap. 16. num. 3.* sed *Suarius de Rel. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 1.* asseruit; quia sunt fauorabilia, in Prin-cipis beneficium sine alicuius præiudicio; sunt opus Cle-mentia; & opus liberalitatis ad vtilitatem publicam or-dinata.

126. *Suspenditur ne Cruciatæ per Bullam Cœna, vel per anni Sancti Iubilæum?* Negatiuè respondeo cum *Salas*; quia priuilegia Cruciatæ per modum contractus conceduntur; quæ autem sic non censentur à Pontifice reuocari. *Salas.*

127. *Bullæ ne seculari fidei assignata potest Sacerdoti con-ferre priuilegium circa lacticiniorum usum in ieiunio Quadra-gesimali?* Potest Presbyter virtute Bullæ communis lactici-niis vesci postquam ad annum septuagesimum accesserit, ex *Fernad. Fernandez de Corduba.*

128. *Confessarius Regularis ab Episcopo approbatus, sed à suo Pralato prohibitus, est ne eligibilis per Bullam?* Assero cum *Salas* eligibilem esse, nisi alios habeat defectus; quia habet potestatem Ordinis, & iurisdictionis. Nec peccabit mortali-ter sic absoluens, nisi ex vi suarum constitutionum ad pecca-tum mortale obligaretur. *Salas.*

129. *Quis virtute Bullæ electo Confessario fidei peccata re-seruata confitetur, ita ut eius confessio sit irrita: rogo num postea possit à quocumque Confessario ab illis absolutionem obtinere, licet virtute Bullæ non eligatur?* *Comit. Comit.* ait posse; quia iam cen-setur reseruatio sublata. Vnde qui Superiori de reseruatis fidei confitetur, potest à quocumque Confessario postmodum absolui rursum ritè proferendo eadem crimina.

130. Dixisti per *Cruciatam* esse dispensabilem omnem irregularitatem ex delicto prouenientem: est ne hac sententia probabilis, & in praxi secuta? Suarij venia affirmatiuè cum Salus & aliis respondendum puto.

Suar. Salas.

131. Vouet quis castitatem circa pollutionem v.gr. idem votum iuramento obsirmit: potest ne votum firmatum iuramento Bullæ virtute commutari? Posse supra respondi. Rationem nunc ex Suario adiiicio, quia licet votum & iuramentum sint duo vincula specie diuersa, tamen moraliter, & in ordine ad Deum, & ad virtutem Religionis quasi vnum vinculum censentur.

Suar. 132. Requiritur ne aliqua iusta causa, vt per priuilegium Bullæ possint vota commutari? Non requiri docet Suarius; quia hoc priuilegium confertur cum onere dandi eleemosynam in belli contra infideles subsidium.

Sanch. 133. Peccaret ne Confessarius, qui sine iusta causa nollet virtute Bullæ vota pœnitentis commutare? Ita quidem, vt Sanchez affirmat; esset enim infidelis dispensator, quippe qui debet vti priuilegio sibi in fauorem pœnitentis concessio. Adiiicio tamen ex Henriquez Religiosos non peccare, si nolint virtute suorum priuilegiorum commutare vota; quia non obstringuntur vti priuilegiis. Sic ille. Ego autem aptius responderè existimarim, quia priuilegium Regularium in ipsorum gratiam indultum est, priuilegium autem Bullæ in gratiam pœnitentis.

Sanch. 134. Adstrictus quis voto castitatis transit ad nuptias: potest ne Confessarius virtute Bullæ tale votum commutare, vt possit veterè debitum? Ex Sanchez doctrina non posse assero. Potest quidem Episcopus iure speciali, & vt consuetudinis, commutare huiusmodi votum; quod quidem non relaxat simpliciter, sed solum ex parte, nempe ad petendum debitum; idèoque mortuo coniuge, obligatio voti reuiuiscit.

Sanch. 135. Commutato voto in aliquam materiam, post ne ipsa materia in aliam commutari? Potest ex Sanchez. Admoueam tamen in æqualem commutandam, ne sæpè in aliam atque aliam, commutato voto ad materiae paruitatem deueniatur.

Fern. 136. Quod de votis assertum, est ne de iuramentis intelligendum? Affirmat Anton. Fern. de Cordoua, modo sine tertij iniuria fiat.

Sanch. 137. Vouet quis solo fine vtendi Cruciatæ priuilegio, potest ne votum illud commutari? Posse docet Sanchez. Non sic compositionis Bullæ valet ei, qui ex prætextu priuilegij compositionis

positionis furatur; aut non recitat: quia expresse ipsa præca-
uetur in Bulla.

138. *Votum pœnale posse commutari dixisti: est ne idem de
conditionali dicendum? Maximè; imò etiam conditione im-
pleta; solum enim votum absolutum reservationi addictum
est. Sic Sanchez.*

Sanch.

139. *Potest ne electus Confessarius impertiri virtute Bullæ à
censuris absolutionem, aut commutare vota non annuente pœni-
tente? Minimè (vri Suarius affirmat) quia illud priuilegium
non est Confessarij, sed pœnitentis.*

Suar.

140. *Votum castitatis, seu Religionis quis emisit cum inten-
tione obligandi se tantum sub peccato veniali: erit ne votum
illud per Bullam commutabile? Affirmatiuè respondeo cum
Suario, etiamsi emissum fuerit cum intentione se obligandi,
vt solus Papa possit commutare; quia tale votum non est
ex reseruat. Papæ.*

Suar.

141. *Dixisti votum Religionis Melitensis non esse commuta-
bile priuilegio Bullæ: rogo, num Religionis D. Iacobi, Calatrana,
& Alcantara possit? Sanchez posse asserit; quia sub opinione
est, an votum huiusmodi sit reseruat.*

Sanch.

142. *Vouet qui sub alterius potestate est, Religionem, vel ca-
stitatem: potest tale votum commutari per Bullam? Gutierrez af-
firmat; quia si pater, dominus, aut maritus possunt illa vota
irritare, poterit Confessarius Bullæ vi, imò Episcopus com-
mutare. Attamen contrarium cum Suarez, Sanchez, & aliis
asserendum puto, nec vrgere paritatem.*

Suar.

Sanch.

143. *Num commutari possit: votum ingrediendi in Religionem
arctiorem in votum ingrediendi in laxiorem? Potest; erogata
tamen elemosyna in belli subsidium. Ita Sanchez.*

Sanch.

144. *Expendas quæso, num sint commutabilia vota non pe-
tendi debitum, non nubendi, virginitatis, non fornicandi, castita-
tis coniugalis? Votum non petendi debitum docet Sanchez
esse commutabile; quia non est votum integræ castitatis.
Idem asserit de voto non nubendi, nisi tale votum fuisset
emissum in fauorem alterius coniugis id petentis propter
filiorum bonum, vel similem causam. Item affirmat de vir-
ginitatis voto, quando constat non esse votum castitatis, sed
solius integritatis corporis seruandæ, quæ consistit in absti-
nencia à primo luxuriæ actu, per quem virginitas amittatur.
Si tamen qui vouet dubius est de sua intentione, non potest
vri beneficio Bullæ; quia tale votum censetur votum casti-
tatis absolutum. Porro de voto non fornicandi, aut non
committendi crimen mollitiei, commutari posse Lessius Less.
asserit;*

Sanch.

R

Lessius Less.
asserit;

Sanch. asserit; quia non sunt perfectæ castitatis vota. De castitate denique coniugali idem Sanchez affirmat.

Suar. **Sanch.** 145. *Vouet quis disiunctiue castitatem, vel sacros Ordines cuius quidem voti altera pars reservata est; potest ne qui vouit eligere eam partem, quam potest Confessarius per Bullam commutare? Suarius & Sanctius posse asserunt, etiam si hæc pars per accidens alicui facta esset impossibilis ita ut iam non posset implere, nisi partem, quæ est reservata.*

Sanch. 146. *Alter coniugum votum castitatis emisit post matrimonium consummatum sine mutuo consensu: potest ne virtute Cruciatæ commutari? Potest, neque enim est omnimodæ castitatis, cum alteri petenti debitum reddere teneatur. Illo tamen matrimonio soluto, qui ita vouit, tenetur seruare votum simplicis castitatis, nisi à Pontifice summo dispensationem obtineat. Ita Sanchez.*

Sanch. 147. *Scio votum castitatis emissum cum licentia alterius coniugis absque animo ingrediendi Religionem per Bullam esse commutabile: rogo si uterque communi consensu continentiam vouit per modum contractus, ac reciproca conventionis, potest ne illud votum virtute Bullæ commutari? Non potest; quia sic uuentes sese ad votum absolutæ castitatis obligant. Quid si postea sibi mutuo illam renunciationem iuris petendi remitterent & conferrent iterum suorum corporum potestatem? Quamuis id sacrilegè contra votum efficerent, facerent tamen valide, & iterum reddere tenerentur, & per consequens ut debite petatur, posset votum per Bullam commutari. Sanchez sic.*

Sanch. 148. *Vouit quis Religionem tempore assignato: potest ne commutari per Bullam ut tempore prescripto ex iusta causa non impleatur? Potest, dummodo non ita differatur, ut sit periculum, ne non possit impleri; quia hæc commutatio non attingit substantiam voti; sed tantum temporis circumstantiam. Docet Sanchez.*

Less. 149. *Vouit quis mendicando sacrum Sepulchrum adire: potest ne Confessarius commutare per Bullam, ut sine mendicatione pergat? Lessius posse asserit; quia mendicatio tantum est qualitas substantiæ voti adiuncta.*

Suar. 150. *Voueo me votum emissurum castitatis perpetuæ, aut Religionis: rogo sit ne huiusmodi votum commutabile virtute Cruciatæ. Est equidem; quia (vbi Suarius ait) non est votum castitatis, nec Religionis.*


151. *Iuravit quis se nunquam in posterum alea lusurum aut si ludat, se certam pecuniam pauperibus daturum, iusit ille: rogo num vi Bullæ possit dispensationem obtinere etiam quoad poenam*

penam pecuniariam ex iuramenti violatione incursum? Potest ex Sanchez doctrina; quia poena illa non debetur nisi ex vi iuramenti; unde facultas concessa ad iuramentum commutandum, extenditur etiam ad poenam.

152. Ad commutandum votum in bonum aequale indiget Confessarius Bulla privilegio? Respondeo cum Lessio non indigere, si quidem ex Henriquez id possit poenitens vel propria autoritate. Sed quoad Henrici placitum non habeo secutus probabilius commune asserentium Confessarij requiri auctoritatem ad voti in aequale bonum commutationem. Less. Henric.

153. Scio ad commutanda vota etiam in bonum aequale extra casus Bulla, vel Iubilaei opus, esse aliqua causa: rogo num causa requiratur ad commutationem ex vi Bulla? Sufficit, petere petentem. Sanchez sic. Sanchez.

154. Fieri ne potest commutatio votorum per Cruciatam extra Sacramentalem confessionem? Sanchez affirmat, sicuti per Iubilaeum, aut Regularium privilegium.




EXAMEN XVIII.

Circa materiam Bullae Compositionis.

CAPVT PRIMVM.

Quisnam in casibus fieri valeat per Bullam Compositio?

1.  Xpendi Bullam scio, cuius virtute incerta, & certa quadam debita componuntur. Rogo, quantum debitum per Bullam componatur? Centum millia terunciorum Bullae beneficio componi valent, ita tamen vt duo millia per vnamquamque Bullam remittantur. Quod si maiori debito quis pergrauetur, debet ad Bullae Commissarium recurrere. Itaque quinquaginta Bullas potest quilibet debitor assumere.

2. Generaliter loquendo quisnam in casibus possum vti beneficio Bullae? Potest componi de quacumque re illicitè tibi compayata.

3. An debet aliqua adesse conditio? Dux profectò conditiones obseruandas sunt. Prima, vt ignoretur creditor, cui legiti-

timè possit, & debeat fieri restitutio. Secunda, vt debitor non contraxerit debita illa sub prætextu, aut spe Bullæ Compositionis. Hoc enim in casu beneficio Bullæ destitutus integram quantitatem Sanctæ Cruciatæ debebit reddere in bel-
lorum subsidium.

4. *In particulari recensens res, de quibus possumus per Bullam componi.* In primis de iis, quæ malè sunt partæ ex vsura. 2. De fructibus Beneficiorum, & Ecclesiasticorum proventuum malè partorum ex Officij Canonici omissione, modò exhibeat Ecclesiæ fabricæ duas dragmas, præter alias duas, quas Cruciatæ impertitus est; fabricæ inquam Ecclesiæ illius, vnde Beneficium exoritur. 3. De medietate legatorum, quæ facta fuerint in solutionem rerum malè acquiratarum, dummodo hæ personæ queis legata huiusmodi facta sunt, per vnus anni terminum fuerint negligentes circa legati acquisitionem, licet certò sciatur, quinam huiusmodi legatarij sint. 4. De legatis olim factis, aut eo tempore, quo Bulla publicatur, quorum legatarij non apparent post adhibitam diligentiam. 5. De pecunia malè acquisita à iudice Ordinario aut delegato ob iniustæ sententiæ prolationem, modò damnum speciale partis læsæ aliàs reparetur. 6. De eo quod Advocatus accepit, vt iniusta in causa patrocinium exhiberet, modò læsæ parti fiat satis. 7. De re malè acquisita à falso teste, aut accusatore, aut ab eo cuius instigatione facta sit accusatio, modò parti læsæ satisfiant. 8. De iis, quæ Tabelliones, aut Notarij malè acquisierunt, & munus iniustè exercitatum, modò parti satisfiat. 9. De acquisitis à iudicibus Ecclesiasticis aut secularibus ob exhibitum munus, quod debebant. 10. De iis, quæ Tabelliones aut Notarij acceperunt ultra Officij præscriptionem, modò ignoretur creditor, cui facienda erat restitutio. 11. De iis, quæ quis acceperit, vt roget iusticiam prætermitti à Magistratu, seu iudice, aut vinculus iniustè è carcere dimittatur, modò parti læsæ satisfiat. 12. De re quam quis acceperit fingens se quod non est, aut se pauperem simulans. 13. De rebus inuentis post sufficientem domini inquisitionem. 14. De iis, quæ apud se quis detinet, quorum dominus, post diligentiam adhibitam ignoratur. 15. De læsionibus vinearum, hortorum, &c. Factis quidem seu venatione, seu grege, dummodo hæreditatum dominus ignoretur. 16. De iis, quæ ob delictum turpe mulieres non quidem meretrices publicæ, acceperint. 17. De qua-
cumque

CAPVT II.

De nonnullis expositionibus, aut resolutionibus
ex præfata doctrina.

5. Quid si creditor certus sit, sed tamen ita distans, ut de-
bitum ei remitti vix possit? Debitum id reputatur in-
certum, & potest componi.

6. An post exhibitam pecuniam assignatam, scilicet dupli-
cem regalem argenteum, ad Bulla acquisitionem, remaneant
omnes debitores ab obligatione debiti expediti? Ita planè;
quia quemadmodum de bonis inuentis post præmissam suf-
ficientem diligentiam ad inueniendum dominum potest
Rex disponere Fisco regali addicens in Reipublicæ utilita-
tem: ita ex bonis incertis iustè aut iniustè acquisitis resti-
tutioni quidem obnoxiiis potest Summus Præsul dispo-
nere Cruciatæ addicens, reputans bonorum Ecclesiæ di-
spensator fore vt domini, si possent, ratum se habere, signi-
ficarent.

7. Post factam compositionem virtute Bullæ incerti debiti
certus creditor apparet: est ne valida compositio? Quidquid
pauperibus, aut piis locis exhibitum fuit, aut sibi bona fide
applicarunt, aut virtute Bullæ composuere, non tenetur resti-
tuere. Ad materiam restitutionis recurre.

8. Possunt ne exteri vi Bullæ componi? Possunt si ad Hispa-
niæ Regna accesserint, licet post compositionem, aut assump-
tionem Bullæ ad propria mox recurrant.

9. Rogo, num compositio fructuum, quibus quis fruitur,
ob debitas Canonicas horas, aut paruum Officium Deipote
ob pensionem, locum habeat quotidianis distributionibus Ca-
thedralis aut Collegiatæ Ecclesiæ malè partis ob residentia dese-
ctum? Minimè; quia huiusmodi distributiones præsentis di-
uiduntur; vnde in creditoris certi læsionem non habet locus com-
positioni. Quod si institeris parem adesse in Horarum Ca-
nonicarum compositione rationem, siquidem certus domi-
nus adest, id est Ecclesia, cui facienda restitutio: respon-
deo id quod iniustè acquiritur ob Horarum Canonicarum
omissionem reddendum esse aut Ecclesiæ, aut pauperibus.
Ex eo capite, quod possit pauperibus quæsdam exhiberi,

R. 3 quasi

quasi incertum debitum reputatur : ex eo autem iure aliquali quidem quod specialiter posset habere beneficij Ecclesiam, iam Pontifex absolutus bonorum Ecclesiae dispensator imperat duos regales Ecclesiae beneficij applicari praeter alios duos, quos Cruciatæ debitor exhibuit.

10. *Quinam residentia Chori defectu grauis habeatur?* Suarius asserit à mortali liberari qui vnico die abfuerit, vltra quem grauis alter dies defectus reputandus. Nimis, tanti viri venia, acris sententia à nobis modificanda est. Asseruerim ex grauium Doctorum placito tres dies esse materia paruitatem, vltra quos vnus materiam grauem constituet, reo culpa mortalis transgressore, cum obligatione restitutionis.

11. *Potest ne componi qui absque Canonico titulo aut accipit, aut retinet beneficium?* Potest quidem, quoad fructuum restitutionem; non tamen vt absque titulo beneficium retinere praesumat.

12. *Quid de excommunicato, aut suspensio?* Potest componi de fructibus, quos dum excommunicatus residentiam omisit, percipit. Profectò componi non possunt qui culpabiliter ab Ecclesiis recedunt, fructuum quidem praedones, quos restituere tenentur.

13. *Quid sibi vult, componi quem supra legatorum medietatem?* Mihi pauperi centum aurei legati sunt à Petro in restitutionem eorum, quae malè acquirerat; Antonius haeres Petri mihi soluturus est huiusmodi legatum. Ego quidem per vnus anni interstitium centum aureos ab Antonio non petij, Potest Antonius Bullæ beneficio componi super debiti medietate quinquaginta aureos retinendo, post Bullarum eleemosynam exhibitam, dummodo alios quinquaginta aureos mihi impendat creditori. Admonuero ad Commissarium recurrendum, si legatum centum millia territorium excedat. *tervnciorum.*

14. *Quoniam modo intelligendum sit iudicem, aut alios iustitiam ministros componi posse de iis, quae ob sententias, aut actiones iniustas iudiciales acquirerunt, si quidem huiusmodi iniustas nullam habeant restituendi obligationem?* Ex iustitia quidem non tenentur parti restituere, at pauperibus ex plurium sententia tenentur, quorum opinioni adherens Commissarius, huiusmodi ex Bulla compositionem offert. *Quid si pars illud exhibuerit inuita ad vexationis redemptionem?* Haud compositioni locus; quia dominium non fuit iudicibus, aut Ministris translatum, creditorque certus adesse videtur.

Examen XVIII. De Bulla Compositionis. 263

15. *Quonammodo denique sit intelligendum, mulieres, quae publice non meretricantur, posse componi de ijs, quae turpiter acquisierunt? Quae publica est meretrix restituere minimè tenetur quod ob turpitudinem acquisiuit; imò potest petere, & qui promisit, reddere tenetur Saa authore ex D. Thoma id referente. Profectò quae occultè operam dant iniquitati licèt solutæ sint, & corporis libertate fruuntur, haud possunt, ex plurium Doctorum placito acceptum in turpitudinis pretium retinere. Igitur huiusmodi meretrices occultæ possunt vi Bullæ componi, quando certus dominus non adest. Id quod à fortiori de nuptis, quae quidem corporis dominium non habent, dicendum est. Denique admonerim à Commissario Bullæ generali facultatem exhiberi, vt prudens Confessarius circa aliarum rerum compositionem possit arbitrari.*

